SUPREMÔ ARCHIATRÔ FAVENTE!

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

RENUM ET VESICÆ CALCULO,

Quam

decretô & autoritate

Illuſtris & Gratioſiſſimi Senatus Æſculapiadei in celeberrimâ ad Salam Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobiliſſimi, Excellentiſſimi atque Experientiſſimi

DN. GUERNERI ROLFINCII,

Phil. ac Medic. Doctoris, Practices ac Chimiæ Prof. Publ. meritiſſimi, ac Facult. Medic. Senioris Graviſſimi,

Dn. Patroni, Promotoris ac Præceptoris ſubmiſſiſſimô animi cultû ætatem devenerandi,

PRO LICENTIA

ſupremos in arte medicâ DOCTORALES honores, immunitates atquè privilegia ſolenniter & legitimè conſequendi,

publicæ ac placidæ eruditorum disquiſitioni offert

JOHANNES CHRISTIANUS FRIEDERICI,

VRATISLAVIA - SILESIUS.

ANNO MDCLXIII. d. XVIII. Januarii,

Horis ante- & po-meridianis in Auditorio Majori.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISII.

21.

Illuſtris Reipublicæ

VRATISLAVIENSIUM

DOMINO

PRÆSIDI,

ac

Senatui Eminentiſſimo,

PATRIÆ PATRIBUS

Optimis,

ejusquè

SYNDICIS ac SECRETARIIS,

VIRIS

Magnificis, Strenuis, Nobiliſſimis, Ampliſſimis

& Conſultiſſimis,

PATRONIS

ac

PROMOTORIBUS,

ſubmiſsâ animi devotione colendis,

maximorum beneficiorum

memor,

obſervantiæ & gratitudinis monumentum

hanc

DE CALCULO

diſſertationem

L. M. Q.

offero

JOHANNES CHRISTIANUS FRIDERICI,

Vratisl. Sileſius.

JESU ANIMARUM NOSTRARUM ARCHIATRO FAVENTE!

Prooemium

Spiritus Gorgonici vim proponens.

AUreos *Meduſæ* capillos, quòd illicitos Neptuno ignes excitaſſent, in angues à Minervâ commutatos fuiſſe ferunt, conſpectu horrendos, talique virtute præditos, ut quivis eos intuens continuò in ſaxum obrigeret, ut habet veteris ſapientiæ fons *Natalis comes in Mytholog. 7. cap.* 12. p. m. 743. Huic fabulæ, quâ veteres hominibus vitiorum metum incutere, virtutumque amorem inſtillare voluére, ſuum relinquimus honorem, animum ad ſpiritus ſuccosque gorgoneos alios tùm in macrocoſmô, tùm in microcoſmo obvios convertentes. Quot enim fontes cùm in Europâ tùm in aliis orbis partibus reperiuntur, qui quicquid injeceris, vel lapideſcente cruſtâ inducunt, vel planè in lapidem immutant? PRIORIS exemplum in fonte Principis dicto, non procul à pagô Welniz. In hôc natantes vermiculi, injecta ligna, creſcentia gramina ſenſim obducuntur lapideſcente cruſtâ. Lapis tophaceus circum circa invenitur, terrâ in tophum conversâ. Memoratu dignum ALTERIUS exemplum habet *Albertus Magnus l. 1. mineral. tract. 1. cap.* 7. de fonte quodam in *Gothiâ*, omnia, quæ in ipſum immerguntur, in lapidem convertente. Hanc metamorphoſin Fridericus Imperator probaturus, miſit ad eum chirothecam ſuâ manu evulſam, & ſigillo munitam; quæ eâ parte, qua immerſa erat, paucis diebus in ſaxum mutata deprehenſa eſt, cæterâ parte ſalvâ, & illæſâ. Non deſunt ſpiritus tales obvia quævis ſaxea reddentes. Propè *Pergamum* opifices quos belli

pavor ad terræ abdita & metallorum cryptas compulerat, petrificati deprehenſi fuere. Circa annum 1320. intra Rusſiam & Tartariam, in altitudine graduum 64. non procul à palude *Kitayâ*, Horda Baſchirdorum penitus in petras à tali ſpiritu transmutata legitur cum toto armento, curribus, & armamento. Dicunturque etiamnum hodiè homines, cameli, equi, greges, atque omne concomitans curruum, & armamentorum genus ſub dio concretum horrendo ſpectaculo adhuc in ſaxata ſtare. Videatur *Helmontius l. de Lithiaſi*. Plura exempla alia occurrunt in monumentis diligentisſimorum naturæ ſcrutatorum, apud *Cæſium de mineral. l. 4. p.* 1. *cap* 1. *Lobelium in fine lithoxylorum obſerv. Aventinum l. 7. Annal. Bavaric. Gvalt. Charleton. diatr. de lithiaſi cap.* 1. p. m. 4. *& ſeq. ut & alios.*

Commiſeratione digna eſt corporis humani ſtructura, quòd ab hiſce meduſeis halitibus non ſit immunis: omnes ferè ejus partes, inprimis autem renes & veſicam annexosque canales creberrimè afficientibus, & immanisſimos cruciatus, niſi in primâ extinguantur herbâ, in iis excitantibus.

Hos ſpiritus Gorgonicos, quùm dilectisſimæ Patriæ meæ incolis miſerrimas ſæpè dent tragœdias, pro legitimè conſequendis in arte noſtrâ doctoralibus honoribus, immunitatibus & privilegiis, locô inauguralis diſcurſus, juſsû & auctoritate gratioſisſimæ Facultatis Medicæ elegimus, genium eorum, & ſævitiam ad examinis incudem revocaturi, tum præſidia contra hoc monſtrum, quæ Deus Ter Optimus Maximus ex inſtructisſimô vegetabilium, mineralium & animalium armamentariô ſingulari clementiâ miſellis ægrotis concesſit, indagaturi, & publicæ philiatrorum cenſuræ commiſſuri

Supremus artis noſtræ conditor faveat noſtris conatibus & faxit ut cedant in nominis ſui gloriam, ſint dilectisſimæ Patriæ adjumento, iis à quibus proximè & poſt Deum vitam, tùm etiam bene vivendi rationem habemus, gaudio, multisque lectulo affixis ſolatio

CAPUT

CAPUT PRIMUM nomen calculi conſiderat.

NOn una calculi in ſcriptis antiquorum exſtat ſignificatio, ſed plures. Ut igitur æquivocationum labyrinthum evitemus, paucis illas expedire lubet.

Sumitur vox calculi 1. pro *pondere* quôdam, eôque minimô, teſte *Rigaltiô*, duo ciceris grandi æquante 2. pro ſcrupis iſtis ſive latrunculis, quibus in ludo ſcachiæ utimur, de quibus plurima obſervatu digna conſignavit *Salmaſius*. 3. *pro ſuffragiis*: unde variæ apud Romanos enatæ formulæ, ut calculum ſuum alicui adjicere 4. *Pro nummis*, quibus computare ſolemus Rechen- oder Zahl-Pfennige vulgò vocatis; item pro rationibus, Rechnungen / & in hôc ſignificatu ingreditur aureum illud & omnibus Principibus inculcandum monitum *Plinii in panegyrico*. *Adſueſcat imperator calculum cum imperiô ponere* 5. Propriè pro *lapidibus minutulis*, ſeu arenulis majuſculis, iis qui ipſis fortasſis inſiſtunt, acuminibus ſuis moleſtisſimis 6. Per metaphoram *in genere* pro omni calculo in quacunque parte in corpore humano generato, & *in ſpecie* pro calculo renum, & veſicæ & ſymptomatibus exinde de pendentibus quum ibi frequentius generetur, ejusque crudelitas iis in locis magis ſit nota. Et hic calculus in ſequentibus theſibus noſtræ erit conſiderationis.

Paracelſus, licentioſus monſtroſorum vocabulorum promus affectum huncce l. 1. *de morbis* ♀*reis*, *Tartari* inſignivit nomine, ob ſimilitudinem, quam habet cum ♀rô in cadis vinariis, lateribus eorum adhærente.

Helmontius de lith. cap. 1. p. 14. calculum ſub novô *Duelech* nomine conſiderandum docto orbi expoſuit, taxatque *Paracelſum*, quòd ſatis incongruè calculum cum tartaro comparârit, quùm hoc ſolvatur in aquâ calente, non eodem modo ille.

Græcè vocatur λίθος, quod idem ac lapis, vel magis λιθίασις, ac ſi dicatur calculoſa ſeu lapidoſa diſpoſitio, & hinc illi, qui hocce affectu diſcruciantur, λιθιῶντες apud eosdem populares audiunt.

qualitates pertinet. 2. non eſt pars vivens, in quâ tamen propriè διάθεσις illa παρὰ φύσιν ſeu morbi natura reſidere debet, 3. ἡ νόσος ἐστι διάθεσις τῆς ἐνεργείας ἐμποδιστικὴ πρώτως, *morbus eſt diſpoſitio primò lædens actionem*, ut ipſe *Galenus* teſtatur. Jam verò, qvùm calculus ſolummodo mediante obſtructione, aut unitatis ſolutione lædat, omnibus conſpicuum eſt, eum morbi nomine indignum. Nec 4. tandem ad ullum aliud morborum genus referri poteſt. Fuſiùs hanc rem proponentes videantur *Mercurial. l. 3. pract. Argenter. comm. in artem med. Galen. Joubertus Annotat. in Gal. de differ. morb. ut & Unzer. l. 1. de nephrit. c. 1.*

AUTORITATIBUS quoque allegatis nihil evincitur.

I. *Galenus, locô citatô*, agit de morbis, qui ad numerum partium referuntur, quorum aliqui, ut totô genere præter naturam, actiones impediunt. Inter hos refert τὸ ὑπόχυμα, *ſuffuſionem*, eamquè morbis adnumerare videtur, quod primò viſionem impediat: reliquas res totô genere præter naturam, inter quas etiam calculum veſicæ locat, τῶν νοσημάτων αἴτια *morborum cauſſas* vocat.

II. *Valleriola*, acerrimi vir judicii, mentem ſuam explicat è veſtigiô, quod cum ſuffuſio & lapis veſicæ, veræ ſubſtantiæ inter morbos referuntur, non id fiat, eâ ratione, quâ ſunt ſubſtantiæ, ſed quà conſtitutiones qvædam ſunt præter naturam; actiones primò impedientes. Eſt enim morbus perpetuò in prædicamentô qualitatis. Una res in duobus poteſt eſſe prædicamentis, diversô reſpectu. Calculus, ſi ejus natura ſpectetur, eſt ſubſtantia: ſi prout læſionem infert, diſpoſitio vitioſa haberi poteſt, & qualitas.

III. Eadem ratio eſt eorum, qui morbum in cavitate vocant.

IV. *Paracelſi* autoritas eâ facilitate rejicitur, quâ prætenditur.

Porrò non deſunt, qui calculo inter *ſymptomata* locum concedunt. *Mercatus libro 4. de morbor. curat.* calculum, qvùm excernitur, ſymptoma vocat. *Unzerus. lib. 1. de nephr. cap. 1.* itidem calculum partim excretorum, partim verò actionis læ-

ſæ

ſæ ſymptomatibus accenſeri poſſe autumat, qvùm actio animalis lædatur, dolor ſit conſpicuus, & motus quædam difficultas in dorſi inclinatione, ut & alterutrô crurum obſervetur.

Verùm utrumquè erroneum eſſe putamus. Etenim non ipſum calculum actionem læſam, ſed cauſſam ſolùm eſſe, ut ſymptomata actionis læſæ ſequantur, etiam ii norunt, qvi vel â limine ſaltem medicinam ſalutarunt. Porrò qvùm excreta in corpore noſtrô ſolum peccent, vel in exceſſu, vel in defectu, vel locô, & debeant eſſe talia quæ neceſſariò in corpore noſtrô generantur, quis non videt, calculum eô modo nec generari, nec excerni.

Rectiùs tandem *alii*, calculum causſis morbificis annumerari poſſe decernunt. Quæ enim vel morbos, vel ſymptomata producit, non aliô modô, qvàm ut cauſſa morbifica excitare videtur. Strenui hujus ſententiæ patroni ſunt *Mercurialis*, *Joubertus* & *alii*.

Calculus verò ut cauſſa conſideratus, producit multos morbos. I. INTEMPERIEI, ſimplicis, nonnunquam etiam compoſitæ cum materiâ. II. CONFORMATIONIS morbos inducit, in meatibus obſtructis, qvi liberi eſſe debebant. III. UNITATIS adeſt ſolutio, cum attritû continuô renes, ureteresquè cum veſicâ læduntur, ut interdum non levis ſequatur exulceratio. His morbis mediantibus SYMPTOMATA in definitione enarrata, & alia plura ceu umbra corpus ſeqvuntur.

CAPUT TERTIUM ſubjectum calculi explanat.

SUBJECTUM calculi genuinum quodnam conſtituamus, ſerè ſumus dubii, qvùm eum in totô corpore ſedem ſuam poſuiſſe videamus. Exſtant fodinæ lapidum in corporibus noſtris multæ & variæ, non ad ædificandum, ſed ad diruendam totius corporis fabricam inſtructæ.

CEREBRUM licet ſit functionum principum metropolis, & regia rationis ſedes, ab importunô tamen hôc hoſpite non eſt immune. Exempla videantur apud *Schenckium, l. 1. obſervat. 81.*

IN ALIIS CORPORIS PARTIBUS etiam calculos reperiri, quotidiana docet experientia, plurimis exemplis illuſtrata à *Gregoriô Horſtiô obſerv. medicinal. l. 4. obſerv. 47.* E LINGVA Mercatoris cujusdam, calculum nucis amygdalæ magnitudine proſilientem, præter *Tulp. obſ. med. l. 2. cap. 75. p. m. 141.* obſervavit *Balthaſar Timæus à* Güldenklee / *Archiater Electoral. Brandenb. eminentiſſimus l. 1. caſ. medicinal. 35. p. 68.*

LAC cum non emungitur, interdum in mammillis lapideſcere, affirmat *Levin. Lemnius de occult. nat. miraculis lib. 4. cap: 18. p. m. 638.* & *Johannes Heurnius*, Medicus apud Lugdunenſes quondam famoſisſimus, MAMMAM muliebrem planè petrefactam ſe Patavii vidiſſe ſeræ reliquit poſteritati.

BRONCHIA PULMONUM à calculis interdum obſideri, ac ab iis aſthma introduci, Scholæ unanimiter hactenus docuerunt. PULMONES lapidibus hujuscemodi infarctos ſœpiùs deprehendit *Fernel. l. 5. patholog. cap. 10. p. m. 519.* eosdemquè cum ſputô & tusſi rejectos obſervarunt non modò prælaudatus autor, ſed & in illuſtri quôdam Barone *Rembertus Dodonæus in medicinal. obſerv. exempl. rar. cap. 23*, in Profeſſore qvôdam Wittenbergenſi *Sennert. l. 2. med. pr. p. 2. cap. 7. p. m. 188*, in viduâ verò qvâdam Paſtoris in Greßen *Rolfincius*, Patronus & Præceptor meus æviternùm ſuſpiciendus, eosdemque decem numero in raritheçio ſuo adſervatos publicè demonſtravit, in collegiô ſuô caſuali.

Fontem Vitæ & Caloris COR interdum ſedem concesſiſſe calculis autoritates clarisſimorum medicorum abundè confirmant, licet *Vidus Vidius cap. de morb. cord.* aſſerat, lapides in corde inventos, à ſe nequè lectum, neque auditum fuiſſe. Sic in corde *Maximil.* II. Romanorum Auguſti glorioſisſimi, tres lapides inventos fuiſſe, teſtis eſt *Wierus de præſtig. dæmonum lib. 4. cap. 6.* Notatu dignisſima eſt hiſtoria fœminæ cujusdam apud *Hollerium l. 1. de morb. internis, cap. 29. in ſchol.* in qvâ, qvatuor menſium ſpatio incredibili urinæ cruciatu lacesſitâ, duo poſt obitum in corde cum multis abſcesſibus reperti fuere calculi, ſalvis veſicâ, & renibus.

IN CAVITATE CORDIS fœminæ cujusdam nobilis calculum

lum magnitudine ſuâ eandem penitùs adimplentem invenit *D. Stieberus*, ut patet ex literis ejus ad *Horſtium* datis: valvulis verò dextri ventriculi adnatum, καρδιαλγίας vehementioris autorem in puellâ quâdam ipſe *Horſtius ſenior lib. 4. obſ. 47.*

VENTRICULUS, microcoſmi coquus raro quidem lapideam hancce congeriem fovere deprehenſus eſt, lapidis tamen ovi gallinacei magnitudine in eô geniti hiſtoriam annotavit *Schenck. lib. 2. obſervat. 9.*

INTESTINA quæ nihil aliud ſunt, quàm ventriculus prolongatus, frequenter ſatis ingratos hoſce hoſpites recipere, ac tamdiu retinere coguntur, donec convenientibus medicamentis inde ejiciantur. Ita ab homine quôdam tenuioris fortunæ poſt acerbisſimos dolores colicos, lapidem ovi gallinacei magnitudine, lapidis bezoardici inſtar, rejectum vidit *D. Hildebrandus apud Horſt. l. 4. epiſt. de morb. infimi ventr.* p. m. 232., ac ab aliô duos pomi majoris magnitudine calculos itidem per anum (ſalvâ veniâ) excretos fuiſſe legitur apud *eundem in eodem librô*, p. m. 237. Complurimos etiam lapides inſtar nucum caſtanearum in Canonicô quôdam Wratislavienſi ſecretos vidit celeberrimus iſte trium Imperatorum medicus *Johannes Crato à* Krafftheim *in Epiſtolâ ad Jordanum à Scholziô* editâ. Videndum etiam exhibuit lapidem exangulum, ex inteſtinis è fœminâ excretum, unum ex XXIV. ejuſdem magnitudinis Dn. *Præſes* Patronus meus colendus.

HEPAR non ſine maximô microcoſmi detrimentô interdum calculis hoſpitium in propriô parenchymate præbuiſſe, vel gravisſimi medici ſuis confirmant calculis. Refert *Kentmannus in lib. de calcul.* quod in nobilis cujusdam juvenis hepate tres lapides reperti fuerint, quorum unus magnitudine dimidium ovum columbinum æquarit. Et Nobilisſimus Dominus *Mœbius*, præceptor atque promotor meus filiali cultu ætatem deverandus, ex Chiliarchæ cujusdam uxoris hepate quam plurimos lapillos teſſerarum figuras repræſentantes, & inſtar marmoris variegatos poſt obitum vidit exemtos, ut patet ex ejus *fundament. phyſiol. cap. 14. de uſu hepat.* p. m. 349. Imò jecinoris partem anteriorem & univerſam ſiniſtram planè lapidefactam ſe vidiſſe atteſtatur *Veſalius in Epiſt. de radice chinâ.*

CYSTIDEM FELLEAM quoque præter expectationem, lapilli ſæpius occuparunt. Itá nucis juglandis magnitudine lapidem in veſicâ felleâ hydropicæ cujusdam repertum ac dono ſibi oblatum aſſerit *Horſtius l. 4. epiſt. med. obſ. 47. p. m.* 239. qui & in aliâ commendatoris cujusdam ordinis S. Johannis plusquam ducentos lapides, partim quadrangulos, partim cinericios partim ſubflavos & auro quaſi micantes inventos fuiſſe, autor eſt oculatus, *Rolfincius*, cum annô 1637. Vinariæ cadaver fœmininum artifice manu aperiret, in veſicâ felleâ ejusdem plusquam triginta invenit lapides magnitudine globulos luſorios imitantes, majores, minores inæqualibus angulis nonnunquam protuberantes, cruſta tenui obductos, intus ſpongioſos, aquæ ſi injiciantur, ſupernatantes, & Excellentiſs. Dominus *D. Schenckius*, p. t. Academiæ Rector Magnificus, Patronus ac præceptor meus ſubmiſsô animi cultu ævum devenerandus, cum præterita æſtate cadaver fœmininum ſingulari Celſiſſ. Saxoniæ Ducum indultu publicæ anatomiæ ſubmitteret, in ejus veſiculâ felleâ lapidem quendam & notabili magnitudine, & inſtar Tartari cujusdam cryſtallini relucentem, non ſine maximâ adſtantium philiatrorum admiratione omnium oculis exhibuit.

Notatu quoque dignisſimum eſt, quod nobiliſs. *Mœbius* à viro quodam celeberrimo & fide dignô ſe accepiſſe teſtatur in *fundam. Phyſ.* c. 15. nimirum in Poloniâ olim innumeros boves, peſte quadam fuiſſe exſtinctos, quorum cadaveribus diſſectis, nihil aliud fuit repertum, quàm tota cyſtis fellea in lapidem converſa. In ſene quôdam decrepitô idem obſervavit *Fernelius* l. 6. *pathol.* c. 5. p. m. 545.

UTERUM quoque aliis fructibus ferendis à ſupremô opifice dicatum, hujusce modi interdum lapideos fœtus excluſiſſe, curioſisſimi obſervarunt Medici. Itá ex mulieris cujusdam annos 68. natæ uterô puellam totam petrefactam erutam fuiſſe, ex *Alboſio* annotavit *Unzerus libro 1. floril. de nephr.* cap. 4. & [redacted] ex *Ambroſio Paræo* refert *Helmont. Tract. de Lithiaſi, cap.* 1. p. 14. Uterum quoque lapideum libras ſeptem pendentem ex fœminâ quâdam 37. annorum ex-

exemiſſe, reliquit *Claudius à Sanctô Mauritiô*, Academiæ Dolanæ Profeſſor quondam primarius.

Rarum quid teſtatum facit *Tulpius obſ. med.* l.2.c.25, dum in calculoſô quodam mortuo propè renem ſiniſtrum illi ARTERIÆ AORTÆ ramo, qui vergit ad glandulam Euſtachii ſiniſtro reni impoſitam lapidem pondere 3. duas pendentem, colore cineritio inſtar bezoaris occidentalis, formaque aviculæ cujusdam inplumis impactum non tantum deprehendit, ſed & propter raritatem pretiosè tabulis æneis incidi curavit, obſervationibusque ſuis adjunxit.

Verùm, quamvis non tantùm enumeratæ, ſed & reliquæ partes ferè omnes, ad quas alimentum accedit, decernente *Schneiderô Medicinæ apud Witeberg. Profesſ. famigeratisſimo libro 3. de catarrh.* lapidibus procreandis aptæ ſint, maximè tamen RENES ET VESICA horum ſunt feraces, cum non tantùm humorum ſeroſorum, ♀ reorum & ſalſugineorum ſint receptacula, ſed & præ cæteris ſingulari quâdam gaudeant opportunitate, iis minimè oppurtunâ. Sunt enim ipſis 1. vaſa ſatis anguſta, 2. parenchyma valdè compactum, 3. ſinus ſatis capaces habent renes, cavitatem etiam amplam veſica, 4. colliguntur & ſubſiſtunt in iis antea nominati craſſi humores, quemadmodum ſcitè hoc expoſuit *nobilisſimus Schenckius in accuratisſimis ſuis exercitat.* p. m. 550.

Afficiuntur autem RENES modò ambo, modò unus, modò uterque, interdùm ſecundùm carnem parenchymaticam, interdum cavitatem, ſeu pelvim, nonnunquam ſecundum utramque. Sententiam noſtram corroborant ex priſcis medicinæ Luminibus, *Galen. comment. in 6. epidem. textu 6. item lib. de ren. affect. dign.*: ex recentioribus verò *Fernel. libro 6. cap. 12. pathol.* Felicisſimus *Platerus in exercit. ſuis anatom.* & incomparabile Academiæ hujus decus, *Rolfincius* qui in nervosâ ſuâ *methodô cognoſcendi & curandi particulares corpor. hum. affecti. diſſert. 17. c. 18. de calculô renum & veſicæ* duobus luculentisſimis exemplis utrumque confirmat.

URETERUM quoque tubulos lapidibus infarctos obſervarunt *Nicolaus Tulpius lib. 2. obſerv. cap. 45.* in Margarethâ Ni-

colâ viduâ, cujus ambo ureteres circa principium lapidibus fuere obſtructi, & *Joh. Theodorus Schenckius* in Dominâ de Cornu, cujus non tantùm renes, ſed & ureteres occupavit lapis miræ formæ, & in aliô cadavere fœminino, cujus ureteri ſiniſtro lapidem magnitudine fabæ impactnm deprehendit, uti videre eſt in ejusdem *exercît. anatom. p. m. 550. & 565.* Quot morbis in calculo ſimul afficiantur renes, *docet Petræus diſſert. harm. 40. de calculo p. 306.*

CAPUT QUARTUM

an calculus veſicæ ſemper rudimentum habeat in renibus, an primariâ locali generatione in veſicâ ſubnaſcatur, quæritur?

HIppocrates obſcuris licet verbis ſententiam ſuam exponat, eò tamen inclinat, calculum veſicæ duplicem habere matricem, quam περιϋπάρχον veteres nominarunt. I. UNAM in RENE, quam vocant περὶ τῆς οὐρήσεως antequam urina fit, II. ALTERAM IN VESICA, quam vocat μετ' οὔρησιν, poſtquam urina facta eſt.

Fernel. l. 6. patholog. cap. 13. p. m. 574. & ſeq. poſterius negat, & ſtatuit omnem calculum in veſicâ concluſum rudimentum ex renibus traxiſſe. Addit etiam rationem 1. nihil eſt in veſicâ (niſi fortè admodum anguſta aut obſtructa ſit veſicæ cervix) quod limum iſtum poſſet remorari, 2. neminem offendit calculô veſicæ laborare, qui non antea nephritidi fuerit obnoxius, 3. quod in mediô obtritorum veſicæ calculorum nucleum ſæpè reperit, verum rudimentum à renibus transmiſſum diverſi, quam reliquum integumentum, coloris & ſubſtantiæ.

Verum tanti momenti argumenta hæc non ſunt, ut veſicam facultate petrificâ exuere queant. Quod enim *prîmum* attinet, ipſe improvidus gladium argumento iſti dirimenda ſuppeditat. Conformationem enim in renum & veſicæ meatibus

tibus non juſtè convenientem eſſe è concauſſarum calculum generantium numero, & veſicæ collum anguſtius retentioni arenularum anſam præbere poſſe breviter quidem, ſed nervoſè innuit *Rolſincius locô jam aliquoties laudatô.*

Altera quoquè *ratio* non eſt abſolutæ veritatis. Pueros enim nephriticos nunquam, aut certè rariſſimè dari, vel loliô victitantibus notum? Quis autem non concedit eos eſſe λιθιῶντας! Conſequentia, quam ab eô, quod interdum fit, ad id quod ſemper fit, facere allaborat, non decet tam edecumatæ eruditionis virum.

Nec *tertia* tantoperè metuenda venit *ratio.* Licet enim concedi poſſit, nucleum huncce interdum à renibus ad veſicam fuiſſe protruſum, nulla tamen exinde emergit univerſalitas. Poteſt aliquid ſolidi firmive in veſicâ contineri, ut e. g. pus, mucor, limus &c. quibus ceu fundamento adhæret pars urinæ craſſior. Plura vide apud *Petræum diſſert. harmon. 40. de calculô renum & veſicæ, p.m. 314, 315.*

CAPUT QVINTUM
cauſſam calculi primariam efficientem inveſtigat.

COgnitô nunc genuinô calculi ſubjectô, ordo venerandæ artis noſtræ exigit, ut nos ad indagationem cauſſarum, quâ ſolâ ab empiricis diſtingvimur, & quidem hoc capite efficientis primariæ, qvantâ licet brevitate, accingamus. Acerrimis autem, tùm verborum, tùm ſcriptorum concertationibus de illâ inter ſe concurrunt medicinæ tam *Galenicæ*, qvàm *Paracelſicæ* anteſignani.

Nonnulli, forſan cùm ſe tricis iſtis expedire non poſſent, ad ſupranaturalia cogitationes ſuas intenderunt, & è creationis noſtræ primordiis, pœnâque apoſtaſiæ humano generi à ſupremô numine impreſsâ, cauſſam λιθιάσεως derivare ſunt conati, putantes, non mirum eſſe in terram reverti id, quod è terrâ ſuam traxit originem. Sed meritò ſpeculationes haſce, utpotè

potè generales aliis linquimus. Omnes ſanè homines, utpotè humo nati, & ob primorum parentum deteſtandum lapſum divinæ maledictioni ſubjecti hâc ratione calculo deberent eſſe obnoxii, quod quam firmo veritatis innitatur fulcro, vel infans judicare poterit. Conſulatur *Gvalt. Charletonde lithiaſi, cap. 2. p. m. 15.*

Operam ſuam melius collocârunt illi, qui ex naturæ ſcriniis, licet valdè abditis, cauſſas calculorum, quamvis non omnes eôdem cum ſucceſſu, eruere ſedulò allaborarunt.

Ex horum numerô primô locô ſe ſiſtunt illi, qui cùm viderent, in magnô mundô res multas ab *externô frigore* coagulari, etiam in ejusdem compendiô homine, humorum viſcidorum & craſſorum coagulationem & in lapides converſionem ab eôdem Frigoris *in renibus* Excessu fieri conſtanter hactenus affirmârunt. Patronum hæc opinio, quadantenus habuit *Galenum epid. comm. 2. epidem. ſect. 3. & 6. epidem. com. 1. text. 6.* lapides renales eò modo, ac tophos, genera ri aſſerentem, hi autem teſte *Coô 2. epidem. ſect. 3.* à frigore.

Sed vero hæc ſententia è diametrô videtur contraria. Aliud ſanè evincunt calculi in viſceribus & renibus calidioribus nati; qui ſanè ibi non poſſent coagulari, ſi frigus cauſſa eſſet primaria efficiens, utpotè illô in iis abſente. Imò ſenes, & phlegmatici, cùm non tantùm frigida viſcerum & renum conſtitutio, ut cauſſa efficiens primaria, ſed & viſcida pituita, ut materia, in illis ſimul concurrat, diris hiſce cruciatibus perpetuò affligi neceſſe haberent, quod quam verum, quivis veritatis amans vel limô oculô poterit perſpicere.

Alii & quidem tùm *veteres*, tùm *recentiores* ferè omnes, magnos illos medicinæ reſtauratores *Hippocratem*, *Galenum* & *Trallianum* ſequuti, *calorem* potius voluerunt amplecti, docentes, *θερμασίαν πυρώδη τῶν νεφρῶν, καὶ κύστιν καὶ κοιλίαν πυρετώδη intenſiorem renum & veſicæ caliditatem* craſſos ac glutinoſos humores attrahere, in illosque agendo partes illorum tenues & humidas abſumere, ac quod reſiduum manet terreſtre exſiccare, & tandem in lapides convertere.

Sed quamvis veterum autoritatibus plurimùm tribuamus

mus, in eorum tamen verba manifeſtum errorem præ ſe ferentia jurare, temerarium genere putamus. Quot enim non dantur homines, temperaturâ viſcerum & renum ardentiſſimâ præditi, adeo ut ferè ſemper de ardore renum & lumborum conquerantur, nihilominus horum cruciatuum expertes. *Nec* obſtat deeſſe cauſſam materialem; Reſpondetur non poſſe abeſſe ob attractricem in hujuscemodi renibus validiorem, mediante quâ humores crudos & craſſos ad ſe rapiunt. *Imò*, quâ ratione calculi generarentur ſenibus & phlegmaticis, utpotè calore excedente deſtitutis? Pluribus rationibus hanc veterum ſententiam refutat *Helmont. tr. de lith. c. 2. p. 17.*

Unzerus in florileg. ſuô medicochim. de nephr. l. 1. c. 6. p. 28. calore & frigore quoque dimiſſis, magni iſtius Baſileenſium medici *Felicis Plateri* amplectitur ſententiam, ac pro verâ calculi cauſsâ effectrice *ſiccitatem renum nimiam cum moderatô calore* conjunctam agnoſcit, aliis quoque illam agnoſcendam ſeriò inculcat. Pro corroboratione ſuæ ſententiæ ex artificialibus adducit vaſa fictilia non niſi igne ſiccô exiccanda & induranda; item quod illi præ reliquis calculorum generationi ſint obnoxii, qui vel à primô ortu vel aliis cauſſis externis, in primis nimiô Veneris uſu renes nacti ſunt ſicciores. Ità etiam videmus humiditate omni planè àbſumtâ ſalia produci.

Sed nec ſic omnem cenſuram effugit *Unzerus*. Ridiculum enim eſſet calorem in renibus calculoſorum adeò excedentem velle ſtatuere, qualis eſt probationis locô adductus, beneficiô cujus vaſa fictilia vulgô exſiccantur & indurantur. Sanè ignis noſter animalis ab igne hocce artificiali tantùm diſtat, quantum humidum à ſiccô. Imò cum aquoſa & ſeroſa materia continuò confluat ad renes, adeò ut impoſſibile ſit illam omnem abſumi, dementis erit ſiccitatem talem in renibus adſtruere. Salia quoque nihil firmi inferunt. Illa enim, exempli locô ſal & cryſtallos Tartari adducimus etiam in loco humido concreſcunt, & innumeras hiſtorias de iis rebus, quæ in aquis lapideſcere ſunt viſæ, conſignavit *Anshelmus Boëtius de gemm. l. 2. cap 300.* Spiritum quoque lotii cum aquâ vitæ dephlegmatâ in momento in mediis undis ſeſe concoagulaſſe, oculis ſuis uſurpavit *Helmont. tr. de lithiaſ. c. 3. p. 21. 22.*

C Scopu-

Scopulos hoſce evitare volens *princeps medicorum Galliæ Fernelius l.6.pathol. cap. 12. p. m.572.* non primas illas qualitates, ſed aliam longè efficaciorem, *inſitam nimirum renum arenoſam calculoſam*, tanquam primariam efficientem, accuſavit *conſtitutionem*.

Verum licet lubentisſimè largiamur, calculoſam hanc renum diſpoſitionem, (quemadmodum etiam calorem, frigus & ſiccitatem, ſi excedant) plurimùm facere ad generationem calculorum, & meritò illam eſſe in numerô cauſarum adjuvantium & quidem valentiorum habendam, attamen cum experientia, fida illa rerum magiſtra teſtetur, non omnes tali diſpoſitione à primo ortû præditos neceſſariò calculo laborare, præprimis ſi diætæ legibus debitô modo ſeſe ſubjiciant; imò multi calculô corripiantur, quorum parentes ab iſto fuêre immunes, ſimpliciter illi calculum noſtrum non poſſumus adjicere.

Nobis potius nunc incumbere videtur, ut relictis Dogmaticorum ſcholis Spagiricorum quoque adeamus ſacraria, & an de cauſsâ graviſſimi hujus affectus efficiente primariâ ab illis poſſimus certiores reddi, videamus.

Hi abſconditarum cauſarum curioſiſſimi perveſtigatores, cum ab externis nihil firmi peti poſſe animadverterent, ad altiora ſe converterunt, & coagulationis principium non in qualitatibus iſtis primis, ſed in ipsâ materia lapideſcente intimiùs non minùs, quam feliciùs indagarunt. Macrocoſmi enim penetralia cum curioſius inſpicerent, & obſervarent Corallia in fundo maris (non enim niſi profunda rimari decet tantos Philoſophos) naſcentia lapideſcere, dari ſpecus & ſubterranea loca, fracidô odore afflata, in quibus humores illabentes non modô in ſtirias, ſed & ſaxeas columnas excreſcerent, tophos etiam in thermarum & acidularum marginibus concreſcere, quæ omnia neque calori, neque frigori poſſent attribui, ſed potius *peculiari cuidam proprietati petrificæ* mineralibus hiſce aquis inſitæ, ſeu, ut *Toparcha Merodanus* effert, *ſemini petrifico è lineâ triviali transplantato*, microcoſmo quoque hujuſcemodi ſuccos ſpiritu fracidô ſeu ſemine petrifico gravidos, qui ſi nanciſcantur ſubjectum concretioni commodum illis formas

mas lapidum inducant, adſcribere haud amplius dubitarunt.

Non defuére quidem, *quibus* ſuſpecta viſa fuit hæc ſpagiricorum doctrina, urgentes, ſi principium coagulationis ineſſet materiæ lapideſcenti, ſequi ut materiâ iſtâ præſente effectus quoque calculus nimirum, producatur, & hinc per conſequens omnes qui tali victu, ex quô hujuscemodi materia craſſa & tartarea generari poteſt, utuntur, calculis neceſſario debere eſſe obnoxios, quod tamen ab ipsâ experientiâ refutatur. *Pro* ſtabiliendâ hâc ſuâ inſtantiâ adducunt non modò iſtos, qui aquis mineralibus aluminoſis nitroſis &c. ad coagulationem lapidis diſpoſitis fruuntur, ſed & eos, qui lacte, caſeo, & aliis cibis craſſioribus largius veſcuntur, quorum priores ab iſtarum potu à calculo potius liberentur, poſteriores verò maximam partem à doloribus hiſce vitam agant immunem, quod impoſſibile eſſet, ſi materiæ principium hocce coagulativum inhabitaret.

Verùm ad *priorem* reponimus, calculoſos à potu harum aquarum ideò nullum ſentire incommodum, quod ſalia iſta, quibus ſcatent prædictæ aquæ, ſalibus ex quibus coagulantur calculi, coagulantur autem ex diverſis, licet quoad denominationem ipſis videantur ſimilia, quoad tamen effectus ſint contraria, adeoque vim obtineant ſalia fixa latitantia in tartarô calculi volatiliſandi, & cum urinis exturbandi. In *Poſteriori* negamus conſequentiam. Non enim neceſſarium eſt, omnes illos, in quibus limoſa ♀reaque materia abundat, mox calculo debere eſſe obnoxios, ſed reliquæ ſimul cauſæ debent concurrere. Efficiens enim non efficit, niſi conditiones neceſſariò requiſitæ conſpirent concurrantquè, uti docet *Horſt. l.4. ep. medic. obſerv. 46. p. m. 233.* Videatur etiam *Lazarus Riverius Prax. med.* l.14. c.1. p.104, qui præter ſpiritum lapidificum in ſuccô lapideſcente latitantem peculiarem quoque ſpiritum lapidificum renibus attribuit, ſed ut nos exiſtimamus, ſine neceſſitate.

In quibus verò, materiæ lapideſcentis partibus petrifica hæcce virtus potiſſimum deſideat, primò intuitû quidem videtur indagatu difficile, difficile tamen non æquè Philoſophis,

 qui

qui *Hermeti* nomina ſua conſecrarunt. Hi enim cum crebris experientiis confirmarentur, res omnes, quæ concreſcunt, ſal continere, & ubi nullum ſal, nec concretionem ibi fieri, ſal ſeu potiùs ejus ſpiritum *πρῶτον δεκτικὸν* concretionis unanimiter nominarunt. Sumat enim modò quis cineres, quo experimentò nititur *Charleton diatribe de lith.cap.2.* p.41. eosque aqua abluat, ac ſal inde ſeparet, nunquam tamen illos lapideſcere animadvertet, ſi vel centies igni admoveantur, ſal non auferet & aquâ admiſtâ citò ad ignem lapideſcere videbit. Cum itaque in ♀rô ſeu calculô corporis noſtri plurimum ſit materiæ ſalſugineæ, merito etiam in illâ *ſemen ſeu fermentum petrificum*, latitare haud erubeſcimus aſſerere, præprimis cum ſubnitamur emunctiorum ſeculi hujus medicorum authoritatibus ſolidisſimis.

Nolumus hîc illorum verba adſcribere, ne theſes noſtræ anguſtis limitibus circumſcribendæ, exſurgant in ampli cujus dam tractatus molem; ſufficiat nobis, ne teſtimoniis deſtituti videamur, ipſum *Hermetem Triſmegiſtum* antiquiſſimum medicorum hanc noſtram approbaſſe ſententiam, ità enim fide *Severini* ſcriptum reliquit: *Salis eſt, ut corporibus in mundum prodituris ſoliditatem coagulando præſtet: ſal enim corpus eſt, mercurius ſpiritus, ſulphur anima.* Famoſus quoque ille medicinæ reformator *Theophraſtus Paracelſus l.de morb.♀reô cap.9.* non minùs ſiniſtre quàm dextrè hocce coagulationis opus ſeq. verbis expreſſit: *homines, ut videmus ex terrâ, id eſt, nitrô vel ſimô urinæ ſal petræ percoqunt & id ſalpetræ in aquâ prius reducitur: in quâ dum eſt coagulatio, ad opus ſuum & laborē procedit, granulatur, canthiſatur, quaſi ſaccharum, & in glaciem ſuam absque hominis opera prorumpit. Ita quoque in homine accidit: materia apparatur per naturam, quàm mox, ſpiritus ſalis comprehendit, & coagulando, tartaream formam imprimit. Suprà homo nihil agit, quàm quod colligit materiam ex ſabulô vel alpibus, macerat in cuprô vel ahenô, colat, filtrat, elutriat, ſuperflua abjicit, reliqua incoquit, & naturæ committit, quæ extremum ornatum confert, & ſpiritu (ſc. ſalinô) omnia cogit & coagulat.* Ad generationem calculi ſalis præſentiam concurrere confirmat natura concretionis, cujus principium ſal, quod iis

coagu-

coagulationis & ſoliditatis fundamentum eſt & ſolidamentum, hoc cū diſcrimine, quod una ſit ſine duritie, altera cum duritie. PRIOR locum habet in ſalibus albis & coloratis, culinario, nitro, alumine, vitriolo: ALTERA in lapidibus, macrocoſmicis & microcoſmicis.

Omnia hæc clare & perſpicue illuſtrat *Vnzerus in floril eg. ſuô medico. chimic. de nephritide l.1. cap. 4.p.17.*

Johann Baptiſta van. Helmont. de lith. cap. 13. ſeceſſionem quidem facere videtur ab hâc noſtrâ ſententiâ, dum locô ſpiritus ſalis coagulatorem ſalutat ſpiritum urinæ modumque fiendi duelech *cap ſeq.p.*27. *&* 33. fuſius conſignat; ſed contrarius videtur, non eſt. Spiritus enim hic urinæ eatenus coagulat, quatenus eſt ſalinæ proſapiæ. Hoc enim verum eſt, fatetur ipſe p.23, quod ſpiritus urinæ fundamentali nativitatis ſuæ puncto ſit ſalſus; quodque ratione hujus ſalis promtius alios coagulet ſpiritus, quam acidus quilibet, lac. Imò quod ante per ſpiritum urinæ expoſuerat, illud poſtea p.29, per *ſalem urinarium*, à quò duelech omne ſit natum, ex votô declarat. Spiritum ſalis tanquam primariam efficientem calculi quoque retinet *Petrus Johann. Faber l.2. univerſ. ſapient. cap.8. p.m.166.*

CAPUT SEXTUM
cauſſam calculi materialem proximam rimatur.

CUm nunc certiſſimus de cauſâ calculi efficiente primariâ, ex artis noſtræ præſcripto materiâ quoque ejus proximâ preſſiori examine erit urgenda. Illam quidem excrementum quoddam p.n. in corpore detentum eſſe nemo hactenus ivit inficias, nec facilè quis, niſi ſanæ rationis deturbatus regimine & impoſterum negabit, quodnam verò illud ſit, æquè omnibus non conſtat.

Dogmatici, cùm obſervarent muccaginem quandam albam ſeu ſubpallidam, viſcoſam planè & tenacem, mucum narium

 refe-

referentem, in urinis calculô veſicæ laborantium ſubſidere τοὺς παχέας χυμοὺς, pituitam quoque albam, viſcidam, craſſam & glutinoſam, à calore renum exſiccatam, & ad lapideam usque duritiem torrefactam pro cauſſa calculi materiali univerſali unanimiter proclamârunt. Faces ipſis præluxerunt venerandi almæ artis noſtræ conditores & propagatores *Hippocrates, l. de intern. affect. cod. Foës p. 539. Galenus 3. aphor. 26. Paulus Ægineta. l. 3. cap. 45. Trallianus l. 9. c. 4.* & quamplurimi alii. Verum, ſi opinionem hanc ad veræ rationis trutinam exigimus, pituitam, præprimis alba iſta, inſipida, ac tantum qualitatibus primis prædita, ſi ſubintelligatur, pro univerſali materiâ calculi non poſſumus agnoſcere, ſiquidem innumera reperiuntur corpora phegmatica, quibus tamen ne minimum negotii cum calculô; imò calculi generantur in temperaturis ſanguineis & bilioſis, in corde, arteriis, & veſicâ felleâ, partibus, in quibus neque pituita, neque alius craſſus hnmor demonſtrari poteſt. Productionem quoque lapidis è pituitâ pluribus ratiociniis, præprimis illô, quod pituita rariſſimè deveniat ad renes, ant ſi deveniat, ibidem tamdiu non perſiſtat, confutarunt *Platerus & Paracelſus.* Et quamvis interdum accidat, quod muccago iſta à verâ quandoque calculi materiâ apprehendatur, & ſub eâdem claudatur, tunc petreſcit quidem à ſemine duelech, unà cum propriâ alioqui materiâ duelech, at non ratione mucilaginis, vel quatenus tenax aut viſcida eſt, ut nervosè ſatis hoc innuit *Johannes Baptiſta van Helmont, de lithiaſ. tr. cap.* 2. quô pluribus hanc ſententiam Dogmaticorum examinavit & refutavit. Si quis verò per pituitam ſeu phlegma cum *Galeno*, ejusque accuratioribus interpretibus, ut & *Hippocrate*, ſalſum velit ſubinnuere, quô in reſpectu etiam à *Lazarô Meyſſonnieriô* Sal corporis indigitatur, Hermeticorum is ſententiæ non adeo repugnabit. Mucum iſtum ex veſicâ prodeuntem, & in urinis calculoſorum fundo innatantem non eſſe materiam calculi ex quâ, ſed potius lugubrem ejus effectum, fuſius expoſuit ſæpius laudatus *Helmont. de lith. c. 2. p. 16.* Conſulatur quoque de illô *Lazarus Riverius l. 14. prax. med. c. 1.* p. 101.

Platerus, Anshelmus, Unzerus & Charletonius, relictâ inſulsâ pituita

pituitâ, pro materiâ calculi agnoſcunt *terrenam ſubſtantiam ſeu ſalſuginoſam terreſtreitatem ſero dilutam*, ſeu ut planius & plenius hoc explicat *Charletonius de lith. c.3. p.58.* humores tartareos, mucilaginoſos, variis ſalium generibus (puta ſalis communis, nitri, aluminis &c.) prægnantes; vel feculam terrenam, humori acri, ſalſo, fixativo, qualis ſeroſa pars urinæ eſt, permiſtam, cujus ſubtiliore parte, vel per evaporationem, vel per transcolationem abſumtâ in renibus, ad quos delatus eſt humor, ſynagma reſiduum vi facultatis ſingularis petrificæ in ſalibus abſconditâ compingitur, ferruminatur & lapideſcit. Rationes pro hâc ſententiâ communiendâ propoſitæ legantur apud eundem *p.56.*

Paracelſus & ejus aſſeclæ ferè eandem fovent ſententiam, & quod *Charleton. p. 60.* per *ſerum terreſtreitate & ſalſugine prægnans* extulit, hi per Tartarum ſuum deſignant. Nec rationum fulcris, dum hoc ſtatuunt, deſtituuntur. Subſtantia ſanè calculorum in corpore productorum, qui exemti aut naturâ excluſi, ac poſtea comminuti, nil niſi ſubſtantiam ſalinam, ſeu tartarum in pollinem redactum exhibent, hoc vel ſola confirmare videtur. Imò qui vino generoſiori, ac tartarô multô ſcatente, quale eſt Hungaricum, Auſtriacum &c. plus juſto delectantur, calculorum generationi magis ſunt obnoxii, quam qui cereviſiâ, hydromelite & aquâ ſimplici utuntur, utpotè quibus parùm ſalis ineſt. Tartarus enim vini h. r. in ſangvine vinipotarum coacervatur, qui commodum ſubjectum nactus facilè negotiô deinde coagulatur & in lapidem abit.

Helmontius, ut hîc aliquid novi ſapere videatur, tùm *Galeni* phlegma, tùm *Paracelſi* tartarum rejicit, locoquè eorum FRACIDAM *quandam* MASSAM præſupponit, quæ, quando coagulator ſpiritus urinæ ſpiritum vini in putreſcente fermento potentialiter excitum coagulat, tribuat materiam duelech Enti illi petroſo, cujus deſcriptio legi poteſt apud *eundem c.4. n.33.*

Nomen fracidæ maſſæ ut novum, ita etiam obſcurum, quo tenebræ generationis calculi magis denſantur, quàm illuſtrantur. Si verò terreſtres intelligat atomos, admitti poteſt.

Libavius novam hic excogitavit materiam calculi, illumque

que ex pingvedine *ſulphureâ* ſeu *bituminoſâ microcoſmicâ* generari tribus experimentis vulganicis in calculorum ſpagiriâ obſervatis affirmat, poſſuntque legi apud *Charleton. de lithiaſ. c. 3. p. m. 61. & ſeq.* *Nos* ejus experimentis neque temerè fidem noſtram derogare, nec etiam tribuere volumus, præprimis cum neminem adhuc partes ejus amplexum fuiſſe videamus, ac in mechanica calculorum analyſi alii aliud ſint experti. Exiſtimamus verò, experientiæ arbitrio & deciſioni arcanum hoc eſſe relinquendum, & ad exactiorem rei diſcretionem opus eſſe non trium, ſed quamplurimorum calculorum ſolutionibus, arte ſpagiricâ expediendis, adſtantibus ſimul iis, qui more *Libavii*, vel leviſſimas calculi cujuscunque proprietates ſedulò obſervent animadvertantque. Interim, particulas quasdam ſulphureas materiæ calculi admiſceri poſſe, haud abſurdum eſſe cenſemus cum ille generetur ex ſuccô terreſtri & tartareô cum ſerô ſangvinis ad renes & veſicam delatô, cui plurimas partes ſulphureas ſubeſſe, oculatâ fide perhibet chimiater in hâc noſtrâ Salanâ ſagaciſſimus, *Dn. D. Gothofred. Mœbius in epitom. inſtitut. medic. diſp. 14. de urinis, c. 2. p 314.*

Nos, ut noſtram quoque breviter annectamus ſententiam, à verô minimè aberrabimus, ſi cauſſam calculi materialem proximam *ſuccos craſſos*, non quidem, quà viſcidi & glutinoſi ſolùm ſunt, ſed *quatenus plurimas ſalinas, & terreſtres particulas admixtas obtinent*, incuſemus: ſimul etiam, quinam illi ſint, breviter excutiamus.

Transmittuntur ad renes & veſicam non modò ſangvis cum Serô Suô, ſed & Materia Potulenta & Aquosa per venas lacteas ad glandulas lacteas lumbares rupta, & ab iis per peculiares quosdam ramulos emulgentibus communicata.

SANGVIS gravidus atomis ſabuloſis plurimis, dum ad nutritionem renum devehitur, uterum infelicis conceptionis fingere ſibi poteſt in parenchymaticâ renum ſubſtantia.

Potulenta & Aqvosa materia in ſe conſiderata non facilè *duelech* ſubminiſtrabit fomitem, niſi forſan partes chyli crudiores, & à calore fermentoque ventriculi nondum ritè ſubactæ volatiliſatæque, ſed multò ſale fixô eoque ſui multiplicati-

vô

vô adhuc ſcatentes, adeoque ſuapte naturâ in lapidem aptæ natæ coagulari, ſimul cum illâ transferantur ad renes.

In Serô largior ſeges. In eo liberalior proventus materiæ calculi ex quâ, cùm illud conſtet particulis ſalinis tàm volatilibus, quàm fixis, ut & terreſtribus, ingenitam vim habentibus, ut ſi renes nanciſcantur intemperie debilitatos, vel in conformatione non ritè ſe habentes, in tophaceam concreſcant ſubſtantiam, tanti autorem cruciatus.

Hic nemini litem movebimus, ſi quis forſan materiam hancce vel humorem pituitoſum, bilioſum, mucilaginem, aut quomodocunque indigitare velit, ſiquidem à verò illos minimè aberrare exiſtimamus, qui materiæ propriæ *duelech* alios quoque humores admiſceri poſſe autumant, modò non inſitam lapideſcendi potentiam ab iis excludant.

CAPUT SEPTIMUM
cauſſas lithiaſis remotiores exponit.

INdagavimus & invenimus tandem proximam, inter quam & ipſum *duelech* nulla alia intercedit, lithiaſis cauſſam: tranſeundum nunc nobis erit ad remotiores, ex triplici rerum naturalium, non naturalium & præternaturalium ordine commodè deſumendas. Excellit inter

RES NATURALES, TEMPERAMENTUM & DISPOSITIO renum hæreditaria à parentibus mutuata. In quô verò ſtigmatis hujus arenoſi à parentibus in liberos ſeminis interventu commigrantis eſſentia potiſſimùm conſiſtat, haud conveniunt inter ſe Doctores.

Nonnulli in conformatione inconveniente illud latitare adſeruerunt.

Charletonius de lith. cap. 4. p. 77. licet non excludat conformationis vitia, à qualitatum tamen elementalium ataxiâ, & potiſſimum ſiccitatis dominiô illud dependere exiſtimat, cum renes ſicciores non tantum plus humiditatis, adeoque etiam

 tar-

tartarum copioſiorem attrahant, ſed & compertum ſit, eos, qui renes ſicciores obtinent, præ humidioribus calculo magis eſſe obnoxios.

Nos συγγενὲς ἢ connatum hæreditarium quoddam jus admittimus, quod parentem agnoſcit CONFORMATIONEM ſingularem tum parenchymatis, tum tubulorum ureteris, tum τῶν σαρκίων μικρῶν, minutarum caruncularum.

SEMEN maris contagio & inſpiratu infauſtum ſtigma ſanguini materno, in uteri parietibus contento inurere quaſi poteſt vel imprimere.

Tranſplantatur, *inquit Rolfincius*, interdum natura & ſal calculi fixum cum ſpiritu lapideſcente ſemini ejusque partibus ſpirituoſioribus intimius impreſſum, embryoni affricatur, & ſic mumia fœtus ſtatim in primâ conformatione inquinatur.

Sane diſpoſitionis hujus lapidificæ tanta in calculo inducendô poteſtas eſt, ut quî eam nacti ſunt à primô ortu, immunitatem ſibi ab iſto vix polliceri queant, adeò ut rectè *Aretæus l. 2. de curat. diuturnorum, cap. 3.* λίθων μὲν, ὧν ἐυφυὴ γῦναι εἰς ἀγόνον τρέψαι, ἀδύνατον ῥηΐτερον μὲν γὰρ μήτρην ἄτοκον θέμεναι, ἢ νεφροὺς λιθιῶντας ἀλίθους. *Ut innata calculorum fæcunditas ad ſterilitatem commutetur, fieri non poteſt. Facilius uterum à pariendi munere abſtrahes, quam calculoſos renes à gignendis calculis.*

Non obſtat, quod nonnulla reperiantur individua à calculi doloribus immunia quorum tamen genitores exſtiterunt calculoſi; meritò enim iis reponimus, quod hoc fiat rarisſimè & ſi fiat, ſemina petrifica balſami humani anatomiam vel nondum potenter occupaſſe, vel poteſtate naturali Archéi in uterô peregrina morborum rudimenta ſuperata fuiſſe & correcta, præprimis ſi procedente ætate bona accedat diæta, cum *Severinô* & *Horſtiô* affirmamus.

ÆTAS etiam una præ alterâ ad calculum vel renalem vel veſicalem diſponit. Ità PUERILI ætati λιθιάσεις adſcribuntur à *Coô 3. aphor. 26.* PUERI enim, cum ingluvie maximè peccent, fit, ut humores crudi, craſſi & tartarei in ſanguine illorum cumulentur, qui ad renes delati, ab iis utpote validis detruduntur ad veſicam, quæ membranoſa & exſanguis, adeoque debili

debili calore prædita muciiaginem hancce tartaream non pari cum renibus felicitate expellit, ſed retinet, ac ſenſim per ſpiritum lapidificum ſalinum coagulat, & in lapidem convertit. SENES verò & ætate provectiores, ideò teſte eôdem *Coo aph.31.* nephritide corripiuntur, quod in illis non tantum plurima generentur excrementa craſſa, ſed & renes habeant debiles & ſiccos, in quibus ob expellendi infirmitatem illa ſubſiſtunt & tandem in lapides renales abeunt.

SEXUS MASCULINUS crebrius hos dolores experitur. FOEMINEUS aliqualem prærogativam videtur obtinere præ maſculinô, dum veſicæ calculô rarius laborat, ob breviorem & ampliorem urethram, per quam fit paulatina & prompta evacuatio. Obſervavit tamen & ſpectandos mihi etiam exhibuit Dn. *Præſes* unius diei ſpatiô 18. lapides majores excretos quadrangulares, rotundos triangulares, factâ prius dilatatione per catheterem.

Calculum quoquè veſicæ tres uncias cum duabus drachmis pendentem ab octuagenariâ quâdam vetulâ feliciter enixum ſe vidiſſe refert, illumque delineari curavit *Tulpius obſerv. med. lib.3.cap 7.p.m. 201.*

CONFORMATIO quoque, ſi in meatibus non ad it conveniens, ex concauſſarum catalogo non erit eliminanda.

Sic VASA EMULGENTIA ſi plus juſto ſint patentiora, ad lapidis generationem haud levem conferunt operam. Tantò enim uberiorem mucilaginoſorum tartareorumque ſuccorum copiam renum alveolis illabi neceſſe eſt, quanto magis hiant vaſa emulgentia, quorum per canales ſerum hujuscemodi terreſtreitatibus ſcatens eorundem ſinubus importatur. Et hæc forſan cauſa fuit, quod *Sanctorius Sanctorius in methodo vitandorum errorum libr.3.cap.7.* in eam devenerit ſententiam & *χαύνωσιν, amplitudinem meatuum* pro verâ cauſsâ lithiaſios poſuerit, quam etiam reſpectu vaſorum emulgentium certô modô tôleramus, ureterum autem ratione negamus.

URETERES enim ſi ampli ſunt, craſſis iſtis humoribus liberum exitum facile concedunt, & hac ratione renes à calculô immunes præſtant; quod ſi verò ANGUSTIA laborent, ſucci

craſſi in tali copiâ non educuntur, in quali per patentes emulgentium tubulos, ad renes confluxere. Neceſſario itaquè parte terreſtriore in iis ſubſiſtunt, & lapideam acquirunt duritiem.

Eosdem effectus ſubminiſtrat COLLUM VESICÆ anguſtius.

VISCERA coctionibus publicis dicata, ſi ſuis ritè non fungantur officiis, largam calculorum meſſem producunt.

VENTRICULUS, optimus alioquin alchimiſta, ſi ejus archéus & fermentum à naturâ ſuâ degeneret, nec ſpiritus acidos in omni planta, lignis, item in cibô, in omni vinô, cereviſiâ, imò in ſaccharo & melle latitantes centraliter recludat & in ſal volatile convertat, microcoſmum totum adeoque etiam renes & veſicam maximis mactat calamitatibus. Sanè quod hic non ſubegit & volatiliſavit, ſubactionem non expectet in reliquis viſceribus. Ad ſecundam enim & tertiam coctionem non itur niſi mediante primâ.

Chylus hujuscemodi à calore fermentoque ventriculi nondũ ritè recluſus & ad officinam ſanguinis primariam, COR deveniens, nec ab eô in ſanguinem laudabilem commutatur, ſed ſaltem ſuperficialiter coquitur & fermentatur, ac poſtea reliquis viſceribus cordi in ſanguificationis opere miniſtrantibus, puta PULMONIBUS, HEPATI, LIENI, RENIBUS &c. transmittitur, quæ ſanguine hujuscemodi recrementosô nutrita, & ipſa vitium contrahunt, adeoque officiis ſuis in ſequeſtrandis fuliginibus & ſcoriis ſanguinis bilioſis, ſeroſis, feculentis & tartareis ac ſalinis, eâ, quâ decebat fidelitate, præeſſe nequeunt. Hinc deficit *πνευμάτωσις*, & ſalia fixa tartarea non rectè ſeparantur, quæ accumulata in ſanguine ſalia volatilia in exiguâ copia præſentia & ipſa figunt, adeoque calculo materiam abunde ſuppeditant.

RENES quatenus INTEMPERIE naturali vel CALIDA vel FRIGIDA, vel etiam SICCA laborant, maximum momentum afferunt ad calculorum generationem. CALIDI enim majori in copiâ attrahunt humores terreſtres ac ſalſos, quam poſſunt iterum exturbare; FRIGIDI verò cum ſimul ſint

debi-

debiles, affluxui horum humorum æquè ſunt obnoxii, utpote partibus vicinis vitioſos humores à ſe amolientibus & ad renes, tanquam ad partes debiles demandantibus, qui ob expultricis inopiam non tantùm illos recipere, ſed & maximo cum ſuô damnô fovere neceſſe habent. SICCIS etiam renibus materia hæcce tartarea lubenter adhæret.

Inter RES NON NATURALES primô locô ſe nobis ſiſtit AER cœleſtium ſiderum influentiis alteratus. SATURNUS CUM MERCURIO in octavâ domô conſtitutus in diurnâ geniturâ, aut in domiciliis calentibus conſtitutus, maximè ſi vires ſuas MARS ipſi quoque porrigat, ad renum & veſicæ calculum valdè diſponit. Non hic ſimplicitèr aſſentiri poſſumus *Charletonio de lith. cap. 4. p. 67. & ſeq.* acrius, quam fas eſt, in Aſtrologos quoscunque, ſine diſcrimine debacchãti. Vera ſunt quæ ſcribit, de pſeudo-aſtrologis, omnes morbos ex aſtrorum poſitu præſagientibus & derivantibus, non autem de ſanioribus, aſtrologiæ rationes adjungentibus.

EXCESSUS in MOTU CORPORIS huc pertinent. Exercitiis enim vehementioribus, qualia ſunt ſaltationes, digladiationes, equitationes & his affinia, non tantum viſcera & renes accenduntur, ſed & crudi, vixque è dimidio cocti humores per emulgentes ad illos præcipitantur, præprimis ſi corpus ſuccis pravis ſit refertum, & exercitia hæcce mox à cibô & potû aſſumtis ineantur. Si etiam diutius continuentur, partes ſanguinis tenuiores & calidiores exhalant & per conſequens corpus refrigeratur, viſcera genuinô ſuô nutrimentô privantur, quæ exinde debilitata ſanguinem laudabilem nec conficere, nec confectum à recrementis debitô modô liberare poſſunt.

OTIUM non eſt immune ab hoc crimine. Si enim illud nimis colatur, calor nativus hebeſcit & obtunditur, & cum ciborum concoctio hâc ratione evadat difficilior & infelicior, ſenſim ſuboriuntur cruditates, & ſucci mucilaginoſi ac coagmentationem promptisſimè ſuſcipientes viſceribus ac renibus impinguntur. Hinc otioſos laborioſis frequentius & acerbius calculo tentari, obſervationes curioſorum teſtantur.

SOMNUS nimius hic non prætereundus. Hic enim

cauſſa eſt, ut calor corporis & viſcerum omnium obruatur, & hebetetur, ac naturales evacuationes ſubſiſtant, hincque cruda & craſſa recrementa in corpore noſtrô accumulentur. Inprimis autem nocet, ſi decubitu ſupinô & in culcitris avium plumis confertis inſtituatur. Lumbis enim ſupra modum incaleſcentibus humores verſus emulgentes, renes & veſicam rapiuntur, & cum tempore ſomni urina in iis detineatur, non mirum eſt, ſi pars ejus craſſior lateribus ipſorum adhæreſcat, & lapideam induat figuram.

VIGILIÆ etiam nimiæ, quatenus diſſipatô calore coctionem debilitant, & cruditates pariunt, cauſſis occaſionalibus ſunt accenſendæ.

ESCULENTA ET POTULENTA materiam præ reliquis calculo ſubminiſtrant dyſpepta, præ nimia duritie ac terrenitate difficultèr eliquabilia, ac ſuccos craſſos & ſalſos generantia.

Generant ſuccos hujuſcemodi craſſos PANIS ponderoſus, non benè fermentatus, nec benè ſubactus, & à furfure liberatus, inprimis autem triticeus ob viſciditatem materiæ, ex quâ paratur. OLERA & LEGUMINA fere omnia præter cappares, aſparagos, lupulum atque ciceres, abſtergendi, urinam ciendi, adeoque renes mundandi facultate commendatos, ſunt in culpâ. CARNES taurinæ, arietinæ, hircinæ, ſuillæ, annoſæ, exſuccæ & permacræ, inprimis fumo induratæ, ac ſalſugine & acetô conditæ, macerataevè idem præſtant.

FERINAS CARNES inprimis accuſat *Paracelſus*, quod ex earum uſu tartarus in corpore noſtrô coacervetur. Hujus rationem nonnulli dant ex *Coô libro de diætâ*, ubi ſicciora ſylveſtria manſuetis eſſe pronunciat: *nos addimus*, quod difficilis ſint concoctionis & craſſos ac terreſtres ut plurimum ſuccos generent. Putamus tamen cum granô ſalis, ac ſaltem de vetulis exaridis, non autem de juvencis ſucculentis hoc eſſe accipiendum, modò ventriculus, qui eas debet digerere, debitô modô ſe habeat. Imò quia, ſicciores ſunt, ideo pauciora ſuppeditabunt excrementa.

Huc

Huc pertinent INTESTINA brutorum, PEDES & aliæ tendinoſæ ac concoctu difficiles eorundem partes.

Hiſce ſe adjungunt ex PISCIBUS omnes grandiores, lacuſtres, marini, ut ſturiones, ſiluri, murenæ &c. maximè aceto & muriæ immerſi, ſale conſperſi, fumoque poſteà indurati, cujus farinæ ſunt haleces muriaticæ aut infumatæ, aſelli arefacti, quorum maxima copia ex Norwegiâ & Islandiâ ad nos transportatur, craſſum ſalſum & tartareum chylum producentes.

Ex VOLUCRUM genere accuſantur inprimis anates, anſeres & aliæ in locis paludoſis ac aquis ſtagnantibus degentes, utpotè excrementitiis & feculentis ſuperfluitatibus ſcatentes.

LAC etiam & inprimis CASEI ex illô parati in producendâ calculi materiâ ſtrenuè cooperantur.

IN INFANTIBUS lactis cooperationem agnoſcit ad *veſicæ calculum Hipp. lib 4. de morbis.* περὶ δὲ λιθίδος, *inquit*, ἀρχὴ μὲν ἐγίνεται ἀπὸ τοῦ γάλακτος τῇ νούσῳ, ἐπὴν τὸ παιδίον θηλάζῃ γάλα μὴ καθαρόν. *Calculi morbi principium ex lacte oboritur*, ubi *puer lac impurum, ex mammis ſugit.*

Confirmat idem & illuſtrat *Galenus.* τοῖς δὲ θηλάζουσι καὶ ἡ ὕλη συντελεῖ, *inquit Galenus 6. epid. comm. 6. t. 15.* παχὺ γὰρ τῇ φύσει τὸ γάλα, καὶ πρὸς λίθων γένεσιν ἐπιτηδειότατον. ἀμέλει καὶ τῶν τελείων τοῖς πλεονάζουσιν ἐν τυρῶν ἐδωδῇ λίθους ἐν νεφροῖς γινομένους ἔγνωμεν πολλάκις. *Lactantibus & materia ipſa occaſionem præbet: lac enim natura craſſum eſt & ad calculos generandos aptisſimum. Porro & in adultis caſeô frequentius veſcentibus lapillos in renibus crebrius ſuboriri cognovimus.*

LAC licet ratione ſeri leviter abſtergat, & ratione butyri blandè emolliat, attamen propter coagulum caſeoſum accedēte aliquali aciditate microcoſmi promptiſſimè coagulatur, & in glebam abit ſatis compactam & tenacem.

CASEI comprimis veteres, cum omnes alvum ſiſtant, meatus obſtruant, ac craſſum & ſalſuginoſum valde præbeant alimentum, fundamentum lapidibus ſubſtruunt ſolidisſimum.

Quæſtionem convivalem, an caſeus magis conferat ad calculi

calculi coagmentationem, ſi ſuperbibatur vinum, an magis ſi cereviſia, decidimus, calculum noſtrum adjicientes vino.

EX POTULENTIS ad calculi generationem aliquid conferentibus meritò primas tribuimus VINIS, utpotè ratione ſalis fixi ipſis copioſe admixti obſtructiones parientibus, & tartarum ſatis divite proventu in ſanguine noſtrô accumulantibus. Talia ſunt muſtum, vina dulcia, craſſa & potisſimum in terra pingui, limosâ, argillosâ & mineralibus gravidâ creſcentia, ut hungaricum, auſtriacum, moravicum, bohemicum &c. morbis tartareis, adeoque etiam calculo, ipsâ experientia ſuffragante, procreandis admodum opportuna. Nocent inprimis ventriculo adhuc plenô liberalius hauſta.

Bevero vicius de calculo renum & veſicæ exiſtimat rhenanum vinum calculoſis minime obeſſè, cum ſit λεπτομερὲς partium tenuium, facilè penetrans, præterea obtuſum partium ſenſum exſtimulet, acrimonia tartarum congenitum ſibi adſumat, & ſecum è corpore educat per veſicam.

Verùm & Rhenus & Mœnus querelas audiunt eorum, qui clamant: ambulandum eſt, & pedes non habemus; dolendum eſt, & pedes & manus habemus: lumborum alii præ immanisſimis doloribus nocturnis & diurnis, cum ejulatu, prorumpunt in has threnodias: & ſenes quidem: Confracta eſt rota ſuper ciſternam noſtram: renes calculis arenisque confringuntur ac atteruntur: pueri verò: ciſterna noſtra lapidicina evaſit, nec aquam trochleæ hauriunt ſed lutum. Utrique clamant VIVAT MORS, PEREAT VITA.

VINA JENENSIA harum injuriarum expertia, nonnulli, ut inſalubria & calculum producentia volunt accuſare, calce illa abundare clamitantes, qvum in menſâ veſperi forſan profuſa manè ejus veſtigia manifeſta conſpiciantur. Verum siniſterrimum hoc judicium Sala fluvius noſter ægrè fert: limpidis caput exſerens undis, nullos audit ejulatus, lætos poſt θώρηξιν civium intuetur vultus, roſeas genas, tibias vacillantes quidem, ſed non titubantes, imò omnia ſalva membra. Non eſt calx allegata & in ſcenam producta materia, ſed ſolum tartarus ſeu ſalina materia, quâ omnia vina recētia ſunt referta, non

autem

ne jam ritè defecata. Ea autem materia ſine noxâ aſſumitur, vim enim habet medicamentoſam, alvinæ regionis laxatricem, ut experientiâ edocti anteceſſores artis medicæ hujus Athenæi id confirmant. Eligenda tamen ſemper nobiliora & generoſiora.

Magnas dant noxas CEREVISIÆ recentes & turbidæ, nondum rectè defecatæ & ex aquis lacuſtribus & alcaliſatis, uti eas vocat PARACELSUS *lib. de Tartaro*, præparatæ ac potæ.

Non excludendæ etiam AQVÆ craſſæ turbidæ & quæ ex magnis fluminibus hauriuntur, cum in ea varii variæ naturæ rivuli ſeſe exonerent.

EXCRETA & RETENTA hîc non omittenda.

VENUS plus juſto adorationis honore à mancipiis culta lapideam hancce prolem interdum ſatis numeroſam, remunerationis loco elargitur. Hujus intemperantiori uſu renes non tantùm primigeniô ſuô balſamô, cui τὸ θερμὸν vitale calidum eſt implantatum, ſpoliantur & ad arenoſam ſiccitatem diſponuntur; ſed & calor nativus totius corporis & omnium viſcerum profligatur, ac ita debilitatâ eorundem digeſtione cruditatum larga ſedes in corpore noſtrô excluditur.

URINA ſubſiſtens, ſuum confert ſymbolum.

ANIMI PATHEMATA, in primis mæſtitia, cauſſis remotioribus calculi poſſunt annumerari.

RES PRÆTERNATURALES huc quoque ſuum conferunt ἐπιβάλλον μέρος.

FEBRES QVARTANÆ nonnunquam renibus hujuscecemodi arenoſam diſpoſitionem imprimere valent, id exemplo in virô docto obſervatô, illuſtravit medicorum hujus ſeculi facilè Galenus, Magnus *Sennertus l.3.med.pract. parte 7.ſect. 1.cap. 6.*

Inprimis autem SOLIDI QVID in renibus vel veſicâ ſubſiſtens, adhæſioni non leve adfert momentum; eò enim ceu baſi innixa materia craſſior non ſecus ac ſaccharum canthum circa baculos ligneos circumcreſcit. Sic uvam deglutitam & lapide obductam quendam denuo excreviſſe propriâ refert fide *Petræus tom. 2. diſſertat.* 40. & turundam à veſica Adoleſcentis cu-

juſdam attractam & lapidem magnitudine pugnum humanum æquante inveſtitum & excretum fuiſſe, in obſervationibus ſuis conſignavit *Tulpius l.3. c.9 p.205.*

His natalibus ortus calculus lentam habet γένεσιν, ſubitum παροξυσμόν. In inſtante παροξυνόμενος verum conteſtatur eſſe Galenicum ex tripode profectum effatum, ἀμερὴς καὶ ἄχρονος ὁ δὲ τῶν νούσων ἔισοδος. *Indiviſibilis & temporis expers eſt morborum invaſio.*

CAPUT OCTAVUM
differentias calculorum proponit.

MUltæ hæ ſunt & variæ, prout ſcilicet inter ſe differunt calculi & ab invicem diſtinguntur, accidentibus *numerô, magnitudine, colore, figurâ, ſubſtantia, ſuperficie, & potiſſimum ſubjectô ſeu locô, ut & cauſſâ.*

1. NUMERI ratione variant. Aliquando unus tantum, aliquando duo, tres aut plures ſimul in unô nidulantur hoſpitiô, rene ſcilicet vel veſicâ, pro majori vel minori fortitudine cauſſarum efficientis nimirum ac materiæ. Sic calculi bis mille & plures renales paucorum annorum ſpatio à concionatore quodam Mulhuſano rejecti, monſtrati fuêre *Felici Platero, medico Baſileenſi.* A commiſſariô quôdam Regis magnæ Brittaniæ, viginti annos nephriticis doloribus conflictato calculos plus minus quingentos è renum ſinubus effuſos vidit *Charleton. de lithiaſ. ſect. 2. cap. 1. pag. 109.* Trecentos lapides unica mictione à vetula quadam ejectos fuiſſe, annotavit *Tulpius obſervat. med. l. 2. obſervat. 47.*

Ex conſule Vinarienſi *Joh. Fuhrmanno* viro prudentiſſimo excretos plusquam ducentos, in rarithecio ſuo ſervat *Rolfincius*, omnes coloris rubri, plurimos aſperos, paucos glabros, oblongos, dactiloſſi formes, olivares.

II. MA-

II. MAGNITUDINE dirimuntur à ſe invicem calculi. Inde alius magnus, alius parvus, alius mediocris, pro majori vel minori nimirum materiæ terreſtris & ſalſuginoſæ, ex quâ procreantur, copiâ. Quanto enim plus ſabuli ſalini, *inquit Charletonius*, indies de novo accedit coagmentationi, ad tantò majorem molem tophum exſurgere neceſſe eſt.

Excellentiſſimus I. *Daniel Major phil. & med. D.* in lucem edidit hiſtoriam anatomicam calculorum in ſolentioris figuræ magnitudinis & molis, in renibus clariſſimi Philoſophi I. Sperlingii repertorum.

In rene dextro Perilluſtris & generoſi Dn. Dn. Henrici Sigiſmundi à Vippach, hæreditarii in Gumperda & Hohenſchwarm, Conſiliarii Saxonici, invenit Rolfincius calculum ovi columbini magnitudine, cum roſtro in acutum deſinente. Adcumbebant minutuli calculi plures.

VESICÆ calculi etiam magnitudine differunt. Major à nobis non viſus, quam qui ANNO M.DCXLVI. Nov.3. exſectus ex cadavere Johannis Sauberti Theologi Norici, veſicæ eurychoriæ exactè conformis, eamque in notabilem amplitudinem diſtendens, ad ponderis civilis uncias accedens.

Aliquot calculorum VESICÆ, magnitudine inſignium, mentio facta *capite de ſubjectô*: grandiores tamen vidit *Borellius* DUOS ovi anſerini magnitudine & ℥ IV pendentes à puellis duabus excretos, & ALIUM ex virô nobili octuagenariô, operâ *Queſnoti*, chirurgi dexterrimi extractum, ℥ XVIII. pondere æquantem, ut ipſe refert, *obſerv. medico-phyſ. rariorum cent. 2. obſerv. 22.* Stupendum ferè eſt, quod *Helmontius de lithiaſi cap. 3. p. 31.* ſcriptum reliquit. in concionatore Anglico poſt mortem aperto lapidem inventum fuiſſe ℔ anglicanam & inſuper ʒ ij pendentem. Plura de magnis veſicæ calculis vide apud *Barthol. cent. 5. hiſtor. 57. p. 126. Petrum Pawium obſervat. 3.* & *Nicolaum Tulpium obſervat. medic. l. 3. cap. 7. p. 200. & lib. 4. cap. 30. p. 343.* capacitas enim veſicæ cum ſit magna, magni etiam ibi tractu temporis poſſunt lapides concreſcere.

RENES interdum ſatis grandes protulerunt lapides. Ita in dextrô rene *Nivelli* octuagenarii, cadavere ejus à morte

diſſectô lapis cineritius obſcurus, ponderis ʒ VII. inventus fuit, *à Johanne Riveriô* chirurgò, teſte *Borello hiſtor. medico-phyſ. cent. 2. obſervat. 82.*

III. COLORE differunt etiâm inter ſe calculi ac, ut ex adductis liquet, alii exiſtunt albi, alii cineritii, flavi, ſpadicei, rubri, ſubrubri, etc. prout ſcil. materia illorum vel ad nitrũ, vel alumen, vel vitriolum aut aliud ſalium genus propius accedit. Exempla ſuppeditant *Foreſtus*, & quamplurimi alii rerum rariorum obſervatores.

IV. EIGURA calculos diſcriminat. Hujus ratione alii ſunt oblongi & ovales, alii teretes, alii rotundi ſphærici, alii lati, alii obtuſi alii triangulares, quadrangulares &c. vel acuti pro varietate ſcilicet nidi, in quô prima acceperunt rudimenta. Plurima notatu digna de admirandis calculorum figuris exempla congeſſerunt medicinæ curioſi, *Foreſtus*, *Joubertus Jordanus*, *Baubinus* & alii. Lapidem quadruplici ramô inſtar crucis, per univerſum renem ſe diſpergentem vidit *Tulpius obſervat. med. l. 2. cap. 44.* In illuſtriſſimâ Dominâ de Cornu mortuâ & apertâ, itidem in renibus ejusdem calculus muris effigiem & ſimilitudinem gerens inventus fuit, *à Dn. D. Schenkiô*, operosè deſcriptus *exercitat anatom. p. 550.* Lapis alius, *autore Petrô Borelliô Hiſtoriarum medico-phyſicarum cent. 2. obſervat. 22.* felis capitis figuram habuit, ac alius inſtar cochleæ lapidefactæ fuit effigiatus, quem etiam pluribus deſcripſit eâdem *centuria obſervat. 62. p. 158, 159. à M. Petrô Spormannô, hiſtoriarum apud Haffnienſes P.P.* è veſica calculum præviis cruciatibus excretum figura & magnitudine, fragariæ fructui haud abſimilem, cum pedunculô vidit *Barthol. cent. 5. hiſt.* 57. qui etiam in muliere quâdam alium pyri formâ ſe repræſentantem obſervavit *cent. 1. obſervat. 72.* Calculum coralli truncum & ſurculum elegantiſſimè æmulantem, deſcripſit *Bartholomæus Euſtachius in annotatat. Pini ad cap. 44. libri ſui de renibus.*

V. A ſubſtantiæ ſeu conſiſtentiæ variô modô differentia calculorum quædam exoritur. Sunt enim calculi vel ſolidæ, denſæ, compactæque, vel fragilis, friabilis, ſpongioſæ, laxæque ſubſtantiæ, pro intenſiori nimirum aut remiſſiori coagulatoris ener-

energia, ut & materiæ glutinoſitate & tenuitate. Lapides veſicales ſiliceam planè ſubſtantiam & duritiem quoad interiorem partem obtinentes ex raritheciô ſuô mihi videndos obtulit Dom. *Rolfincius*: à centurione verò quôdam poſt uſurpata convenientia medicamenta lithontriptica, ex renibus ejusdem lapides arenoſos tantum & friabiles exiiſſe, teſtatum fecit *Martinus Rulandus in centur. 7. curat. empiricarum.* Et ſimiles forſan etiam alii annotarunt.

VI. SUPERFICIES etiam diſcrimen quoddam conſtituit inter lapides. Sic calculi deprehenduntur alii læves, alii aſperi, alii unà parte lævitatem, aliâ aſperitatem oſtendunt, prout nimirum materia vel æqualiter, vel inæqualiter ſynagmati lapidoſo apponitur. Rariſſimè contingit, quôd annotavit *Unzerus, florileg. de nephrit. l. 1. cap. 2. pag. 9.* nimirum à fæminâ quâdam plurimos lapillos aſperos valdè & acutos, diverſæ magnitudinis ex renibus, per meatus urinarios, citra ullam ſæpè difficultatem fuiſſe excretos.

VII. Potiſſima tandem differentia calculorum deſumitur à *locô ſeu ſubjectô* eorundem. Et hoc nomine conſiderati erunt vel *renales*, vel *veſicales*.

Cum autem partes hæ non unô ſemper modô affligantur, ſed diversô, variæ etiam exinde de novô ſuboriuntur differentiarum ſpecies.

CALCULUS enim RENALIS alius tantùm eorum parenchyma, membranam verſus, alius tubulos ureteris *καὶ τὰ μικρὰ σάρκια & papillares carunculas occupat*, alius pelvim, cavitatē ſeu alveum, modò dextorſum, modò ſiniſtrorſum alius. *Fernelium* ignavus ſeduxit error, cum ſcribit *6. de part. morbis & ſympt. cap. 12.* arenulas non in interiori renum cavo, ſed in renum ſubſtantiâ naſci.

VESICÆ calculus etiam eſt duplex: Alius *τὸ προϋπάρχον, πρὸ τῆς οὐρήσεως rudimentum* ante mictionem, antequam ſerum urinæ characterem acquirit, in renibus habet, & in eorum ſinu poſt *σύναγμα περιπλάττεται τῷ προϋπάρχοντι novum coagmentum apponitur illi rudimento* Alius *μετ' οὔρησιν*, poſt *mictionem* poſtquam urina jam facta ex ſero, in veſicâ ex domeſtico ſyn-

agmate, locali producitur generatione. Alius liberè in illâ oberrat & quaſi natat, aut affixus adnatusque ipſi eſt, interdum ſine folliculo, interdum folliculo incluſus.

Poſterius aliquot memoratu dignisſimis exemplis illuſtravit *Nicolaus Tulpius obſervat. medic. l. 3. cap. 4. & 5. p. 105. & ſeq.* Lapidem in præfectô militiæ equeſtris Ducis Mantuani, undiquè humore multô ac craſsô circumveſtitum, inſtar anguillæ pellis eum circum ambiente vidit & delineavit *Marcellus Donatus hiſtor. med. mirab. 4. c. 30. p. 514.*

Folliculis incluſi fuêre aliquot & lateribus affixi *in Johanne Heurnio* Medico apud Lugduno Batavos primicerio, qui catheteris fidei ſe ſubtraxerunt.

Silentio non involvenda illa differentia, quæ à Causa deſumitur. Ità ὁ δὲ λίθος συγγενὴς, ὁ δὲ ἀσυγγενὴς, ἐπίκτητος, ἢ μὴ φύσει ὢν, *calculus alius* enim erit *congenitus & hæreditarius*, alius *ab erroribus in victû acquiſitus*. Licet enim *Mercatus* hæreditariam ad calculum diſpoſitionem l. 3. *medic. pract. de affect. inf. ventr. cap. 29.* deſtruere conetur, ſententia tamen ejus tam ſolido fundamento haud innititur, ut nos ad illam amplectendam obſtringat. Experientia, fida rerum omnium magiſtra aliud evincit, pluribusque calculi hæreditarii exiſtentiam proſeqvutus fuit ſæpius laudatus *Charletonius delithiaſ. cap. 4. p. 72. & ſeq.* Autoritates videantur apud *Marcellum Donatum l. 4. hiſtor. med. mir. cap. 30. p. 516.*

CAPUT NONUM
ſigna calculi diagnoſtica examinat.

QVamvis, uti providê hoc aſſeruit *Baptiſta Sylvaticus in libr. controv. 32.* nullum propriè detur ſignum pathognomonicum, quo freti *nephritidem* neceſſariò adeſſe concludere posſimus, ſed omnia & ſingula ferè ab autoribus hactenus tradita aliis quoquè affectibus ſint familiaria, nos tamen illa, quæ majori ex parte hunc affectum ptodunt, & ab antiquitate, recentiorique

tiorique ævo ſedulâ & providâ manu fuere annotata, jam enumerabimus, ſimul etiam cauſſas eorundem adjungemus.

RENALIS CALCULI indicia proponuntur ab *Hippocrate 6. epidem. ſect. 1. t. 5.* *ἐς νεφρὸν ὀδυνὴ βαρεῖα, ὅταν πληρῶνται σίτου, ἐμέουσι γε φλέγμα. ὅταν δὲ πλεονάζουσιν αἱ ὀδυναι, ἰώδεα. καὶ ῥάους μὲν γίνονται. λύονται δὲ ὅταν σίτου κενωθῶσι. ψαμμία τε πυῤῥὰ ὑφίσανται. αἱματώδές τε ῥέουσι. νάρκη μηροῦ τοῦ κατ' ἴξιν.*

Ἐς νέφρον ὀδυνὴ βαρεῖα. In renem incidens dolor gravis primo ponitur loco. Nomine] *τῆς ὀδυνῆς βαρείας καὶ κυρίως λεγομένην βαρείαν ἡ μὲν βάρεος τινος αἴσθησιν φέρει, καὶ χαλεπὴν,* | *& verè gravem ponderis incumbentis ſenſum inferentem, & acerbum dolorem* intelligit *Galenus in commento.* Eundem dolorem *lib. de internis affectionibus* vocat Hippocrates *ὀδυνὴν ὀξεῖαν dolorem acutum. ὄυκ ἐστι ἡ δὲ ὀδυνὴ ἐν τῇ γενεσει τῆς συστάσεως πωρώδους ἀλλ' ἐν τῇ διαμονῇ καὶ διεξόδῳ.* Non advertitur dolor in generatione tophacei concrementi, ſed in manſione & exitu. Gravis dolor eſt calculi manſione, acutus motu. Gravis eſt, cum quieſcit in carne renis, acutus eſt, cum in ureteres incidit. Gravis qui eſt, nonnunquam movetur in acutum, imô per acutum, & rurſum ſic in gravem, ut occupati renis à calculo motus eſt & concitatio, aut quies à motu. Dolor oritur ob nervos, quos à ſexti paris plexu propè renes accipit.

Ὅταν πληρωῦται σίτου, ἐμέουσι φλέγμα. Cum replentur cibis, vomunt pituitam. Per cibos Galenus intelligit & alimenta & eorum excrementa. Ab utriſque colon & ren comprimi poſſunt.

ὅταν δὲ πλεονάζουσιν αἱ ὀδυναι, ἰώδεα, cum dolores continuaverint, æruginoſa. Hæc ſunt vel momenta bilis per choledochum ductum in finem duodeni influere adſuetæ, vel corruptorum ciborum cadavera.

καὶ ῥάους μὲν γίνονται, ὅταν σίτου κενωθῶσι. Et meliùs habent, cum cibo deplentur, liberius enim renes occupant ſpacium, nec comprimitur & calculo parenchyma impingitur.

Ψαμμία τε πυῤῥὰ ὑφίσανται Arenulæ rubræ ſubſident. ARENULARUM EXCRETIONEM *τῶν ψαμμωδεῶν ἔκκρισιν, καὶ ὑφίστασιν ἐν τῷ οὔρῳ* quamvis *Hippocratis 4. aphor 79.* *λιθιάσει τῆς κύστιος vesicæ ſynagmati* adſcribat, *Galenus* tamen eam utrique &

renum

renum & veſicæ calculo communem pronunciat. Idem facit etiam *Aretæus lib. 2. diut. cap. 4.* graviſſimè inquiens: *Συμπάντας, τοὺς λίθους διαγνοίης, ἂν τῆσι τῶν ψαμμίων ἐν τοῖσιν οὔροισιν ὑποστάσει. Omnes lapides dignoſces ex arenularum in urinis ſubſiſtentiâ.*

Nec ſine ratione veneranda antiquitas poſteritati hæc ſcripta reliquit. Cum enim arenulæ & calculi ex eâdem materiâ, partibus ſcil. ſalinis & tartareis generentur, adeoque præſentes materiam calculo futuro idoneam copiosè in ſanguine & ſerò adeſſe indicent, quid vetat, quo minus ex harum in urinis apparentiâ illius vel in rene, vel veſicâ concludatur præſentiâ.

De hôc tamen arenosô mictû, an ſignis calculi annumerari debeat, plurimi haud injuſtè dubitant.

Mercatus l. 4. de morb. cap. 10. Avicennam ſecutus, ab arenosô hocce mictu immunitatem ſpondet à calculô, eò quod valida renum expultrix futuram calculi generationem prohibeat.

Et ſanè ſi rem ad exactioris judicii lancem revocemus, non pathognonomicum quoddam, ſed valdè fallax judicium ab arenulis hiſce peti, experientia docet. Plurimi ſiquidem reperiuntur, qui totâ vitâ multas cum urinâ arenulas effundunt, à calculô tamen ſalvi; plurimi etiam, è contrariô, calculo diſcrutiantur, quorum in urinis ne arenula quidem, per totum vitæ curriculum apparuit. Poſterioris exemplum habet *Heurnius*, referens, in illuſtris cujusdam perſonæ renibus inventos fuiſſe calculos ingentes, in cujus tamen urinis arenulæ tales nunquam apparuerunt. Prioris verò *Charletonius*, qui in *diatr. de lith. c. 3. p. 48.* propriâ experientiâ teſtatur, ſe novis ſe nobilem quendam hypochondriacum, lumborum dorſique dolore contumaci per ſeptennium, ut & arenularum intensè rubrarum mictione divexatum,n cujus cadavere diſſecto renes cum veſica à calculo reperti fuere immunes, vaſa verò ab hepa te ad renes tendentia coagmento rubro tartareoque undiqua- que oblinita, ex quo & aliis exemplis patet, non à ſolò calculô haſce arenulas provenire ſed etiam ex uſtione humorum, ſive in epate, ſive in ipſis venis contentorum. Πυρ-

Πυῤῥὰ τὰ δὲ ψαμμία vocat *Hippocrates*. Hâc notâ diſcerni renum lapides à veſicæ calculis, ceu fidiſſimo κριτηρίῳ diſcriminari, & hos albos, rubros illos eſſe nonnulli ajunt. Sed ſæpe color hoc modo variat, non ſemper. Nonnunquam rubri, crocei, ſæpe & albi & cinericii ſunt renum calculi.

αἱματώδεες περέουσι. cruenta mejunt. Confirmat *idem 3. prorrhet. ſect. 1. t. 1.* *οὖρα αἱματώδεα. οὖρα ἐξέρυθρα. urinæ ſanguineæ, urinæ rubræ. διά τι αἷμα οὐρέουσιν cur mejunt ſanguinem,* quærit *Galenus in com. 6. epid. l. c.* & reſpondet: *ὅτι ἐπειδὴ ὁ λίθος ἐξιὼν ὅταν γωνοειδής ἐστι, πλήττει τὰ παρακείμενα μόρια. quoniam exiens anguloſus lapis vulnerat vicinas partes.* Partes illæ ſunt vaſa renum venæ & arteriæ, in carunculas tubulorum terminatæ.

ναρκὴ μηροῦ κατ' ἴξιν à Galeno in comm. refertur ad communionem venarum, arteriarum. Illi autem, *ſubjungit,* qui conſenſum hunc ad membranas, nervos, peritonæum, ureteres, referunt, *ἀπείρως ἔχουσιν ἀνατομῶν, imperiti ſunt rerum anatomicarum.* Hanc ſententiam aliter explicat *Joh. Langius lib. 1. epiſt. 45.* & rectè. Veritas ſuadere videtur muſculis pſoadibus, *νεφρομήτραι ἢ νευρομήτραι renum & nervorum matres* qui adpellantur, conſenſum adſcribere. His compreſſis nervi eorum ad femora tendentes ſimul coafficiuntur.

Eadem renalis calculi indicia ferè repetiit *Hippocrates lib. de internis affectionibus.* ὀδύνη ὀξείη ἐμπίπτει εἰς τὸν νεφρὸν, καὶ εἰς τὴν ὀσφὺν, καὶ εἰς τὸν ὄρχιν τὸν κατὰ τὸν νεφρόν. καὶ οὐρέει πυκινά. καὶ στύφει κατ' ὀλίγον τὸ οὖρον. καὶ ἅμα τῷ οὔρῳ διεξέρχεται ψάμμος, καὶ ὁκόθεν ἐξίῃ διὰ τῆς οὐρήθρης ἡ ψάμμος, ὀδύνην παρέχει ἰσχυρὴν ἐν τῇ οὐρήθρῃ. ὁκόταν δὲ διεξουρήσῃ, ἡ ὀδύνη ἀνίησιν. ἔπειτα αὖθις ἐν τοῖσιν αὐτοῖσιν ἄλγεσι κέεται. ὁκόταν δὲ οὐρέῃ, καὶ τὸν καυλὸν ὑπὸ τῆς ὀδύνης τρίβει. πολλοὶ δὲ τῶν ἰητρῶν οἱ μὴ συνιέντες τὴν νοῦσον, ὁκόταν ἴδωσι τὴν ψάμμον, δοκέουσι λιθιῆν τὴν κύστιν, καὶ ταύτην μὲν οὔ, τὸν δὲ νεφρὸν, λιθιῇ. *Dolor acutus in renem, lumbos, & teſtem ad renis regionem ingruit, frequenter urinam reddit, & paulatim urina ſupprimitur, ſimulque cum eâ arena egreditur, & cum per urinæ fiſtulam arena exit, vehementem in eâ dolorem exhibet. Ubi verò cum urinâ exiit, remittit dolor, deinde rurſus iiſ-*

dem vexatur doloribus. Cùm autem urinam reddit, colem præ dolore confricat. Plerique verò medici, cùm morbum non noſcant, ſi arenam videant, veſicam calculo laborare exiſtimant. Hæc autem minimè, ſed ren calculo laborat.

Ὀδύνην ὀξεῖαν, *acutum dolorem* dum dicit, non contradicit dolori gravi. Ponderis conſtantis & uno loco manentis dolorem præ ſe fert διαμονῇ, præcipuè, ſi ſit magnus, acutum ἐξόδῳ, cum ureteri ſe inſinuat.

Εἰς ὀσφὺν καὶ ὄρχιν ſe extendit dolor hic, tum ob compreſſionem lumbaris muſculi, tum conſenſum nervorum. Conſenſus hic tantus, ut nonnunquam teſtis retrahatur in abdomen, & nullum ejus in ſcroto appareat veſtigium.

Οὐρέει πυκινὰ, *mingit frequenter*, titillatur enim expultrix.

ςύφεται καθ᾽ ὀλίγον τὸ οὖρον, *paulatim urina ſupprimitur.* Νεφρῶν ἐξαπιναῖον ἄλγημα μετ᾽ οὔρου ἐπισχέσιος λιθιδίων οὔρησιν ἢ παχέων οὔρων σημαίνει. *Renum repente dolor obortus cum urinâ ſuppreſsâ* LAPILLOS *aut* CRASSAM *urinam* oſtendit, autoritate *Coarum prænot.*

Non ſolùm utroque rene laborante mictio intercipitur, ſed & alterutro. Ita comparata eſt ratio amborum renum, ut interdum ceſſante uno, alter officium faciat ſuum: interdum tanta eſt ſympathia in ſocietate officii, ut quibus ren ſocius langvet, iis in totum urina ſupprimatur.

ἅμα τῷ οὔρῳ ψάμμος. *Sabulum cum urinâ exit*, ſæpe etiam nullo doloris percepto ſenſu, in minima ſi ſit comminutus. Magni ſæpè cum multâ urinâ exeunt indolenter, interdum ingenti cum ardore.

τὸν καυλὸν ὑπὸ τῆς ὀδύνης τρίβει, ὅταν οὐρέει. Ardor cum imprimis perſentiatur propè glandem, quà adeſt foſſula exilis, pruritus ſentitur. Eleganter *Aretæus de diuturnis lib. 2. cap. 4.* omnes calculoſos ex urinæ ſubſidentiis deprehendes, ἅτὰρ ἢ ὅτι πρόκοποι τὰ αἰδοῖα γίγνονται, *& quod ipſis ſæpe virilia erigantur.* Eriguntur incenſa, ab ardore & moleſta titillatione. Eam ægrè ferentes ægri fricant affectum locum.

Ἐπιφώνημα agmen ſignorum claudens informat tyronem, ne ceſpitet in judicio. Omnis calculus renum tranſit per veſicam,

ſicam, non ceu filius in eâ genitus, ſed ceu adoptivus; ei tamen ceu ſoboles matri adſcribi non meretur.

CAPUT DECIMUM
ſigna λιθιῶντος calculi veſicæ explanat.

QVinque proponit *Hippoc. lib. 4. de morb.* notatû digna. *ἐπὴν τε οὐρῆσαι θέλῃ, πονέεται. καὶ τὸ οὖρον κατ' ὀλίγον ῥέει, ὥσπερ, στραγγουριῶσι. καὶ ἔστιν ὕφαιμον οἷα τῆς κύστιος ἡλκωμένης ὑπὸ τοῦ λίθου, καὶ ἡ κύστις φλεγμαίνει. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἀφανές. σημήϊον δὲ ἀκροποσθίη ἐστιν, ὅτι διουρέεται ψαμμώδεα. ὑπὸ τοιούτων δὲ, οἷον ἐγὼ ἐρέω, διουρέεται δ' ἔστιν, ὅτε, λίθους δύο, καὶ πλείονας. ἕτεροι δὲ σμικροὶ, τρόπῳ δὲ αὐτῷ, ὥσπερ καὶ τὴν μίαν εἴρηκα.*

URINAM dum EMITTIT, non mirum, dolorem adverti, perrumpit enim illa vi meatum obſtructum.

URINA PAULATIM FLUIT, ut ardore urinæ laborantibus, inæquales arenæ atomi & moleculæ vim inferunt collo veſicæ & urethræ.

SUBCRUENTA interdum eſt, læsâ ſuperficie interiori & collo ejusdem, vaſisque ejus abraſis.

PRÆPUTII ſumma pars id indicat. Ita vertunt interpretes. Sed minus rectè. *ἡ δὲ βάλανος glans* in baſi ſeu radice circulo ceu coronâ ſatis altum marginem, qui ambitu ſuo penem ambit, cincta, & membranâ innominatâ, quæ *ἀκροποσθία* dicitur, tecta intelligitur.

ARENOSA vel CALCULI emergunt, prout unum *σύναγμα* vel plura concreſcunt.

His *libro de aere, aquis & locis* addit alia ſigna 1. concretus tophus in veſicâ primùm minore, poſt majore copiâ, ad veſicæ os depulſus, *κωλύει οὐρέειν, καὶ ὀδύνην παρέχει ἰσχυρὴν, ὥστε τὰ αἰδοῖα τρίβουσι καὶ ἕλκουσι τὰ παιδία τὰ λιθιῶντα. δοκεῖ γὰρ αὐτέοις τὸ αἴτιον ἐνταῦθ' εἶναι τῆς οὐρήσιος. τεκμήριον δὲ οὕτως ἔχει. τὸ γὰρ οὖρον λαμπρότατον οὐρέουσιν οἱ λιθιῶντες πρὸς τὸν γινόμενον οὖρον.*

MICTIO IMPEDITUR, *tophus enim & porus obſtruit urinarium*

am meatum. Mejunt συνεχῶς καὶ ἐπιπόνως, continuè & moleſtè, ſcilicet ſtillatim.

PUDENDA fricant pueri, putant enim cauſam titillationis ibi hærere.

LIMPIDA adeſt urina, quod craſſum enim eſt, in veſicâ manet.

TENSIO præterea & PONDERIS ſenſus adeſt in veſicâ. MEIENDI etiam cupiditas, ob temerariam veſicæ irritatæ contentionem. Moto corpore SANGVINEA mictio in rhedâ præcipuè, reſeratis colli veſicæ venis. Non niſi DIVARICATIS cruribus ambulare queunt, ſi calculus ſit magnus. Τεινασμὸς inanis adeſt deſidendi conatus. PRURITUS interdum adeſt umbilici, ob urachi communionem. CATHETER fidiſſimum indicium præbet, & calculi in veſicâ præſentiam vel abſentiam detegit in veſicam immiſſus. Non tamen ſemper huic experimento ſoli credendum. Interdum enim non poteſt tangi calculus, quod vel in altiore veſicæ parte contineatur; vel in humore craſſo & viſcoſô ſit immerſus, vel membranâ etiam obductus, & tunc nec reluctatur tactui, nec edit ſonum percuſſus, quæ tamen lithotomis infallibile præſentis calculi ſunt indicium.

CAPUT UNDECIMUM
ſigna diſtingventia hunc affectum ab aliis proponit.

SImilitudo mater errorum evolvenda, cum inquietudo calculoſa varias in conſenſum trahat partes.

In principio latere ſolet; econtrà anxietas apparet circa præcordia, nonnunquam orthopnœa. Peritiſſimus medicus de fructu certus, de herba minùs ſollicitus, vacillabat, venæ ſectione pectori & pulmonibus mederi geſtiens.

Alius circà cor anguſtias ſentiebat, incaleſcebat, modicè rigebat, judicabatur eſſe in periculo febris malignæ, de alexipharmacis diaphoreticis cogitabat. Mox renalis calculus ſe ſuis, ut ſorex prodens indiciis, litem dirimebat.

MA-

MAGNA COLICI & CALCULO-RENALIS doloris affinitas, ſe invicem mentiuntur, ita ut ſæpe prudentes medici decipiantur, & unum habeant præ altero, præcipuè in latere dextro, in quo colon reni alligatur. *Coli vehementem dolorem ſæpiùs conſpexi, inquit Galenus 6. de locis affectis, cap. 2. medicis illum non ad colon, ſed ad renes pertinere putantibus, veluti renum cruciatus ad colum referre videntur. Horum affectuum dignotio ut difficilis eſt, ita non magnam præſidiorum differentiam requirunt, ſed quæ uni conveniunt, conveniunt & alteri. Itaque accidentia inſpicere oportet,* diſtinguentia unum ab altero.

Diſtinguentia hæc ſigna ſubjungit: 1. *nauſea* & *vomitus* urgent multò graviores, & magis adſidui, dolente colo: evomunt enim plura pituitoſa, & corrupta. 2. Retinent magis excrementa, ut nec flatum nec ructum emittere queant. 3. ſæpenumero *dolor circumire videtur,* & ampliorem locum occupare, & in diverſis locis fit vehementior. Nephritici verò dolores uno loco ſtabiles manent & fixi. 4. *Dolor in loco renibus altiore,* colicæ index: in regione renum fixus, nephritidis. 5. Urinæ ab initio puræ dilutæque, poſt aſperum quid, demum arenulæ ſubſident. In colicâ autem, quod ab alvo dejicitur, flatuoſum eſt, bubulo ſtercori ſimile, aquis ſupernatans. 6. Dolor colicorum clyſteribus mitigatur magis, quàm nephriticorum. 7. Colicus ejecto frigido humore illicò quieſcit nephriticus excreto ſabulo. Hæc Galenus.

Eadem diſtinctiva ſigna repetit Galenus *2. de locis affectis cap. 5.*

In compendium eadem redegit *Trallianus lib. 9. cap. 6.* συμβαίνει σημεῖα καὶ τοῖς κωλικευομένοις, καὶ τοῖς ἔχουσι λίθον ἐν νεφροῖς· καὶ μάλιστα περὶ τὰς ἀρχὰς διακρίνεται δυσχερῶς. καὶ γὰρ ἐπὶ ἀμφοτέρων τῶν παθῶν ἔμετοι γίνονται, καὶ ἐποχὴ γαστρὸς, καὶ πνευματώσεις καὶ διατάσεις, ἄχρι τοῦ στομάχου καὶ τοῦ ἥπατος. *in utrisque,* ait, *accidunt indicia, cum colico cruciatu, tum renum calculo affectis, & præſertim circà initia ſignis ægrè diſcernuntur. Etenim in utrisque vomitus excitantur, ventris retentio, flatus & diſtenſio-*

nes uſque ad ſtomachum & jecur pertingunt. Etſi vero utriſque hæc accidant, attamen τεχνίτην ἰατρὸν artificem medicum hæc latere non poſſe, ſubjungit. *οἱ ἔμετοὶ γὰρ vomitus enim in colicis multò plures & crudiores: alvus magis aſtricta: flatuum retentio major: urinæ copioſius habent ſedimentum, & minus ψαμμώδες: dolor etiam magis vagus.*

HYPOCHONDRIACO cum affectu magna convenientia. In utroque excernuntur arenulæ. Benè, *inquit Rolfincius in Epitome*, diſtinguenda hæc utraque excretio, renalis nimirum ab illâ quæ occurrit in hypochondriacis, ex aduſtione humorum in vaſis exortâ, & in declinatione febrium tùm acutarum, tùm chronicarum conſpicua. Diſtinguuntur autem quod hæ permiſcentur urinæ exactè, ſenſimque matulæ urinariæ, poſtquam urina refrixit, lateribus adhæreſcunt, nec in fundô ſubſident, ut illæ, quæ à renibus proveniunt, imò vel ipſi urinæ innatant. Præterea, ut perhibet *Riverius prax. med. l. 14. cap. 1. p. 106.* digitis contritæ diſſolvuntur & ſalinam referunt ſubſtantiam, cum aliæ digitis non cedant, & diſſolvi nullô modô queant.

DOLORES implacabiles nonnulli ad regionem lienis, & ad umbilicum ferè, tumorque quaſi quidam percipiebatur. Non credebatur eſſe dolor nephriticus, & tamen erat. Aperto cadavere inventus ſiniſter ren *ἀνάῤῥοπος*, & majuſculi aliquot in eo lapilli.

CRUENTA MICTIO ſæpe apparet, Dubitatur, an à calculo, an à laxitate vaſorum ſanguifluorum? Sciendum, quod *cruenta mictio* non proprium, nec etiam inſeparabile ſit ſignum calculi, quum etiam de aliis cauſſis quamplurimis, putà renum imbecillitate, ſerum à ſanguine non ritè ſecernente, retentrice læsâ & expultrice irritatâ, copia ſanguinis, apertione vaſorum, menſium aut hæmorrhoidum ſuppreſſione, item nimiô diureticorum vinorum uſu ſæpè numero provenire poſſit; imò multi ſunt calculoſi, quibus perrarò ſupervenit hæc ſanguinolenta mictio: ſemper itaquè cum aliis ſignis conjungenda.

AB INFLAMMATIONE RENUM, quæ *νεφρῖτις* propriè dicitur, differt calculoſa diſpoſitio, quod in illâ dolor non modo con-

continuus ſit,ſed & pungitivus: in calculo periodicus magis,& gravativus, dum parenchymati impactus,tum demum fit pungitivus,cum ureteres petit, & membranas. 2. Inflammatio comitem habet febrem, quæ ut plurimum abeſt à calculo. 3. Addunt *alii,* quod renes inflammati plerumque ſtillicidium urinæ junctum habeant. Secus contingit in renibus calculo obſeſſis, in quo tum demum illud advertitur, cum ureteribus ſe calculus advicinat. De hoc tamen cuilibet liberum eſto judicium.

CAUSARUM ſigna, quæ ultimam διαγνώσεως partem conſtituunt, accurato medici judicio relinquuntur. Sin ab hæreditariâ diſpoſitione,infantes ſæpe calculoſi veniunt in lucem, non rarò etiam dum lacte materno utuntur,lapilli advertuntur, qui in urinario ſubſiſtentes meatu, medicis multum faceſſunt negocii.

CAPUT DUODECIMUM
ſigna calculi prognoſtica expromit.

SIgnis diagnoſticis calculi jam patefactis, antequam prophylaxin & curationem ejus aggrediamur, à rectô tramite minimè deviabimus, ſi prognoſticorum ſignorum examini, utpote genuinis Æſculapii filiis digno, & cujus ſolius beneficio ſe & artem à petulantis vulgi calumniis vendicare poſſunt, pagellam unam aut alteram largiamur, & per ſigna veterum medicinæ antiſtitum auguriô explorata, & rationum fundamentis ſubfulta, quinam calculoſorum Hygeiæ beneficio ab ejusdem tormentis liberari queant, quinam etiam fati, ſine liberationis ſpe, ſint futura ludibria, & quanto temporis intervallo, hæc crux illis ſit ferenda, breviter præſagire ſtudeamus.

Et I. SALUTIS & MORTIS,GENERIS ratione,prædictionem præmittemus. Gravis affectus eſt, ut notante *Plinio natur. hiſtor.* calculoſorum dolores inter aſperimos judicati ſint primi: rarò tamen ſunt lethales, nec præceps mortis adferunt periculum.

Egre-

Egregiè *Aretæus lib. 2. de cauſis & ſignis acut. cap. 9.* ἐκ δὲ συμπαθίης τῆς διὰ τὴν ἰδέην τοῦ σώματος κακὸν γίγνεται οὐδέν. ἡ δὲ ἐπίσχεσις τῶν οὔρων πάντα τὰ δεινὰ πρήσσει. πῦρ μὲν γὰρ δριμὺ, ἀσῶδες, ὀδύνη κατ᾽ ὀσφὺν ἐπὶ ῥάχι βαρεῖα, διάτασις τῶν μερῶν, μᾶλλον δὲ τῶν ἀμφὶ τὸ ὑποχόνδριον. *Ex conſenſu affectionis renum, ob formam corporis provenientis, nulla creatur offenſio. Urinæ tamen interclusio omnia ſæva & acerba facit, ignem acrem & faſtidium inferentem, dolorem gravem ſecundum lumbos in dorſo partium diſtenſionem, ſed magis circà præcordia.*

Periculoſa eſt urinæ ſuppreſſio diu durans, ſerum enim ſanguinem coinquinat, & cordis tonum enervat. Nobilis ἰσχουρία detentus evadit lethargicus. De funere cogitatur. Medicamentis adhibitis largiſſimè profluit urina; brevi tamen moritur. Unde hoc? Cauſa jam dicta eſt. Et tametſi ejus curſus redierit, non perinde meliore loco ſunt res ægrotantium. Ducalium rationum præfectus, ex renibus calculoſus aliquot annorum ſpacio pluribus excretis lapillis, cum ἰσχουρίας inſultibus, tandem acerrimis cruciatus doloribus poſt iſchuriam dierum decem fato conceſſit.

Sed non ſolùm ratione retenti ſeri & urinæ grave malum eſt calculus, verùm etiam, ſine eâ, ratione conſensûs cum principibus aliisque vicinis partibus.

Urina tenuis, pellucida & ſpicea ſi renum calculo laborantibus exeat, talisque aliquandiu appareat, iis peſſimum præbet ſignum. Niſi enim vel ab immoderatô potu, vel aliâ cauſsâ externâ talis excernatur, indicio eſt, calculum caput ureteris exactè obſerantem urinam præterlabentem omni craſſitie ſuâ ſpoliare, eamque ſibi apponere. Imò lapide indies incrementum maximum hôc modô capiente totalis tandem obſtructio meatuum, præprimis ſi ambo renes laborent, aut lapis in urethram protrudatur, urinæque ſuppreſſio meritò eſt metuenda, ex quâ poſtmodum reſtagnante ſero, deductôque ad cachexiam & hydropen corpore æger vel ſubitò ſæviſſimis cum cruciatibus animam exhalet, vel paulatinis tormentis tandem conficiatur. *Urinæ* tales etiam maximam calidi nativi penuriam ſolent portendere, ut potum talem elabi ſinant, qualem

lem ventriculus recepit, & hinc extrema colligenda cruditas.

Variat periculum ratione Formalium Differentiarum. Multi, magni, anguloſi, aſperi, tranquillitati microcoſmicæ magis inſidiantur, moleſtioresque ſunt, quàm pauci, parvi, glabri &c.

In Siliceam duritiem ſi concreverit ſimulque ſit magnus incurabilem ſe ſiſtit medicamentis, à quibus reſolvi & colliquari renuit, tam in renibus, quàm veſicâ. Talis utrobique ægro *συναποθνήσκει commoritur*. Inania ſunt oſtentatorũ quorundã, qui id ſe præſtare poſſe gloriantur, triſcurria.

Vesicæ Puerorum calculus, non gaudet ætatis beneficio, quo puerilis epilepſia, quæ in pubertate ſanationem admittit. Ille quò longiùs ætate proceditur, eò fit major & ponderoſior, ſolâ extractione curabilis. SENUM veſicæ calculus ſiliceus idem experitur fatum. Locari meretur vitioſa talis diſpoſitio in numerum eorum morborum, de quibus *Galenus 5. meth. med.* Ἔνια δὲ νοσήματα ἀδύνατον ἔχει ἴασιν, *quidam morbi impoſſibiles ſunt curatu.* Vera ſententia eſt, de præſidiis pharmaceuticis, non de chirurgicis. Hæc in ipſum habent imperium.

IN ARENOSUM verò & tophaceum generoſa medicamenta dominatum exercent. Talis generis ſine dubio fuêre, ab *Horatio Augenio tom. 2. epiſt. medic. lib. 9. epiſt. 8.* propoſiti. Bis *inquit*, calculum veſicæ fractum vidi, primò caſu, mox deliberatione & maturâ conſulatione prægreſsâ. Talis fuit Wilhelmi Laurembergii, in Academiâ Roſtochienſi Profeſſoris olim celeberrimi, qui, *peculiari ſcripto*, provecta ætate, cum ſectionis auxilio ſe ſubmittere nollet, medicamentis ſcopum ſuum aſſequutus fuit.

CALCULI primâ vice excernendi, licet minores, majores tamen & aſperiores cruciatus ægroto concitant, ac reliqui ſequentes, licèt multò grandiores. Ureter enim, & collum veſicæ cum urethrâ, à calculo ſemel ampliata, majorem illã obtinent amplitudinem, latiusque extenſa ita permanent. Et hinc eſt, quod poſteriores & ſenſim aucti lapides facilius explodantur, quàm in initio minimi.

MULIEBRIS SEXUS levioribus doloribus in excernendis veſicæ lapidibus afficitur, ob brevitatem, rectitudinem, & latitudinem cervicis, per quam materia calculi arenulatim exturbatur, antequam in juſtæ magnitudinis lapidem coire poteſt: faciliori etiam iisdem artificiosâ catheteris, & dilatatorii inſtrumenti applicatione, iidem eximuntur, quam maſculis.

SUBJECTI ratione, facilior eſt curatu calculus renum, quâm veſicæ.

CAUSARUM reſpectu, ὁλοῤῥιζὴς inveterata HÆREDITARIA diſpoſitio ferè incurabilis, adeò ut rectè *Aretæus l. 2. de curat. diuturnorum c. 3.* Λίθων μὲν, ὧν εὐφυὴ γῆ̈ναι εἰς ἀγόνον τρέψαι, ἀδύνατον, ῥήϊτερον μὲν γὰρ μήτρην ἄτοκον θέμεναι, ἢ νεφρὸυς λιθιῶντας ἀλίθους. *Ut innata calculorum fœcunditas ad ſterilitatem immutetur, fieri non poteſt. Facilius uterum à pariendi munere abſtrahes, quàm calculoſos renes à gignendis calculis.*

Hæreditaria calculoſa diſpoſitio omnem ferè, etiam generoſiſſimam, eludit medicinam, tàm præſervationis, quàm curationis ergò adhibitam. Hinc male ſe habent illi, in quos ſtigma hoc petroſum beneficio ſeminis paterni aut ſanguinis materni tranſmigravit. Individuum enim comitem habebunt calculum, ſive is renum ſit, ſive veſicæ, eos prius non deſerentem, donec ærumnis & tabe confecti miſeram cum morte felici permutaverint vitam.

Eadem ferè ratio adventitiæ inveteratæ diſpoſitionis.

LONGITUDINIS & BREVITATIS prognoſis attento debet ſupputari calculo. Lapis ſiliceam in veſicâ adeptus duritiem, nullâ operâ diſſolvi poteſt, ſed doloribus continuis ægrum debilitans ipſum affliget ad ultimum halitum. Veriſſimum eſt, quod ἥδε ἕλκωσις καὶ λίθων γένεσις τὰ πολλὰ, *autore Aretæo de curat. diuturn. cap. 3.* ἀποθνήσκει, *ulcera & calculorum generatio plerumque ſenibus commoriuntur.* Locum etiam hîc habet, quod *venerandus ſenex libro 6. aphor. 6.* de renum & veſicæ affectibus, in ſenibus præcipue ſcripſit in genere: Τὰ νεφριτικὰ καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζηται τοῖσι πρεσβύτῃσι. *Renum & veſicæ dolores vix ſanantur ſenioribus.*

MODUS eventus ad SALUTEM variat. Reſolvitur in atomos

tomos opē medicamentorum,& arenularum in morem emingitur: nonnunquam ſolâ manûs operâ eruitur, viâ factâ vi, & ferro.

Ad MORTEM terminatur renibus contabeſcentibus, & veſica officium in emiſſione urinæ non faciente.

CAPUT DECIMUM TERTIUM
methodum medendi, ſecundùm indicationes ſuas explicat.

MOrbi naturâ penitius jam inveſtigatâ & cognitâ, par erit, ut curationi ejus etiam pagellas aliquot tribuamus. Optima verò quis contra calculum aut fientem, aut jam factum inveniet remedia, inventisquè rectè in ejusdem exſtirpationē utetur, ſi methodum medendi ſcitè certoquè calleat. Abſolvitur illa tribus INDICATIONIBUS: CURATORIA ſcilicet, PRÆSERVATORIA & VITALI.

CURATORIA reſpicit lapidem jam factum, eumque totâ ſubſtantiâ peccantem eradicare jubet. Hic ſi fuerit ARENOSUS tantùm, ſeu levitèr coagulatus, præmiſſis præmittendis beneficiô lithontripticorum in arenulas iterùm erit redigendus, & ſic cum urinâ deturbandus; ſi verò NIMIS SOLIDUS & compactus, vel TRANSPONENDUS vel VACUANDUS.

PRÆSERVATORIA PURA verſatur circa cauſſas calculi, nondum actu facientis morbum, eoquè intendit, ut tùm inclinatio in lithiaſin, quantum quidem poſſibile, exſtingvatur; tùm etiam materia calculo producendo idonea in corporē non accumuletur: MISTA verò circa cauſſas actu jam facientis morbum occupatur, impeditquè, ne jam factus ulteriora acquirat incrementa, ſimul etiam dolores non exacerbentur, invigilat.

VITALIS virium habet cuſtodiam, naturæque per confortantia ſuccurrendum monet.

SYMPTOMATA calculum concomitantia, ut DOLOR, SUPPPRESSIO SEU DIFFICULTAS URINÆ, EXULCERATIO MEATUUM &c. haud floccipendenda, ſed cuilibet per propria remedia providè obviandum.

 CA-

Coqu. in ſ. q. ▽ æ comm

℞. *colaturæ* ℥ x. *vel* xII.

ſirupi roſar. ſolut. ℥ j.

electuar. diaphœn. ℥ ß.

ol. anethi ℥ j. *ſcorpionum* ʒ ij.

⊖ *gemmæ* ʒ ß. ☿. ℈ j.

M. fiat l. a. clyſter, tepide injiciendus.

Apud *Gregor. Horſt. l. 4. de morb. infimi ventr. obſerv. 43. p. 223.* commendatur ſequens.

℞. *Radic. alth. malvæ,*

eryng. marini aa. ℥ iij.

fol. altheæ, malvæ,

violar. pariet.

fl. melilot. chamæm.

ſambuci ſumm. aneth. aa. M. ß.

lumbricorum in ▽ lotorum &

inciſorum ℥ ij.

ſem. aniſ. aneth. aa. ℥ IV.

lini fœnic. a. ʒ ij.

Coq. in lact. vaccini q. ſ.

In colaturâ diſſolve

vitellos ovorum n. ij.

ol. chamæm. anethi

lil. alb. ſcorp. aa. ℥ ß. *croci* ℈ ij.

M. *fiat clyſter.*

S. Schmertzenſtillendes Clyſtier.

Sin alvus adſtricta fuerit, addatur parùm *electuar. de ſucc. roſ.* & nonnihil *mellis roſ. colati.* Poſſet etiam ſi quis clyſtere hoc uti vellet, ob cautelam ſuperius indigitatam quantitas ingredientium aliquatenus imminui, & ſic cum maximô emolumento ægroto adhiberi, tertiâquè vel quartâ vice etiam, ſi dolor & neceſſitas urgeant, hujus & aliorum enematum injectio reiterari. Plura enematum exempla videantur apud *Hadr. à Mynſicht. in armament. medico-chimico ſect. 32. p. 451. & ſeq.*

Quod ſi verò quidam ſeu præ nimiâ animi mollitie, ſeu puerilis verecundiæ exceſſu impudicum (itâ enim nonulli ineptè

ineptè eum appellitant,) clyſmatis uſum reſpuant, alvum tamen habeant conſtipatam, doloresque ſuſtineant atrociſſimos, in tali caſu haud erit inutile LAXANS aliquod pharmacon PER os exhibere.

Conveniunt ἐκκοπρωτικὰ LENIENTIA, quæ primas vias evacuant, ſine agitatione humorum, & LENITER PURGANTIA, quæ ſecundam regionem attingunt. MANNA benedictum eſt leniens. CASSIÆ in renum affectibus aliis & calculô, ob diureticam vim multum tribuitur. *Ballonius 2. epid. & ephemerid.* docet caſſiam nocere iis, quibus calculus veſicæ ſectus. Nos ab uſu ejus non abhorremus. *Sirupus roſar. & viol. ſolutivus* prodeſt. Proſunt ♀ *nitratus. cicera* ♀, *Pil. de terebinth. catharticum terebinthinatum, terebinthina laxativa ſeu purgans Mynſichti, extractum panchymag. Crollii. Sirup. de cich. cum rhab.* ex quibus & aliis variæ concinnari poſſunt formulæ.

BOLI ſunt commodi, quia non tàm facilè revomuntur à nauſeabundis ægris.

℞. *caſſiæ recenter extractæ, ſuper althææ*
decoctæ vapore ℥ij
rhabarb. ʒj. *res. ſcamm. gr. iij.*
pulv. glycyrrhizæ q. ſ.
M. F. Bolus. S. Purgierzucker.

℞. *terebinthinæ laxat. Mynſ.* ʒß.
cum ſaccharô & raſurâ glycyrrhizæ fiat Bolus.
S. Laxierzucker.

℞. ♀*ri* ⊕*lati* ℈j.
⊖ *geniſtæ* gr. viij.
ſcamm. roſat. gr. vj.
S. Purgierpülverlein auff 1. mahl.

℞. *ſirup. roſar. ſolut.* ℥ij.
decocti fr. & fl. ℥ iij.
miſturæ ſimpl. ℈ß.
M. *fiat potiuncula.* S. Lindſafft.

Validiora PURGANTIA apud calculoſos in *curationis* actu procul exulare jubemus: exhibita enim haud levem noxam iis intuliſſe, annotatum fuit à circumſpectis rerum medicarum

carum ſcriptoribus. Horum enim ope ſtabulantes in primis viis vitioſi humores vi quâdam præcipitantur ad *renes*, ipſequè calculus vel planè quieſcens, vel levitèr ſaltem ſe movens, motu violentiori impulſus in anguſtos urinæ meatus deturbatur & impingitur, maximis ærumnis & doloribus vicinas excrucians partes.

VOMITORIIS ex *ſale vitrioli* & *mercurio vitæ Angelus Sala* ſe nephriticos dolores citò fugaviſſe teſtatur. Sed ſatius videtur ab his, imò etiam blandis aliis abſtinere, ne natura, quæ aliâs ob conſenſum renum ad vomitum inclinat, & valde inde ægreſcit, magis turbetur.

Non exhibenda etiam hæc, niſi doloribus remittentibus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM

de diureticis & ureticis in paroxyſmo agit.

PRimis viis, lenientium vel leniter purgantium ope expeditis nonnulli ſe conferunt ad urinas moventia. Horum conſilium ſi ſine judicio quis imitetur, miſerè peccabit.

Duplicia ſunt diuretica generatim ſumta, ab οὖρος i. e. *ἄνεμος* ventus, quod in vapores reſolvant & in auras difflent, & diſſipent, dicta.

I. *Διουρητικὰ* propriè dicta, calida ſunt & ſicca; ita dicuntur, non quod ſola moveant urinas, ſed quod ſolas moveant urinas, non autem lac & menſes. Fundunt humores, attenuant, & ad urinæ vias præcipitant. Hæc in paroxyſmo non conveniunt. Foràs quidem arenulas expellunt, ſed quod reſtat, contumacius reddunt.

Avidè licet expetatur hæc ſabuli excretio, in receſſu tamen plus habet calamitatis, quàm in fronte voluptatis.

Duretus in Cois, & alii graviſſimi viri, illius ductum ſequuti, confirmant id hiſtoriâ *Hippocraticâ 5. epidem.* propoſitâ de Theophorbi filio, Lariſſæ decumbente, qui poſt adſumtum *διουρητικὸν δριμὺ acre diureticum* peſſimè habuit.

Verùm calculi nulla fit mentio, ſed leproſæ tantum veſicæ ſca-

cæ ſcabiei. ὁ Θεοφόρβου παῖς ἐλέπρα τὴν κύστιν, *inquit*. Adeſt quidem ſignum aliqvod calculo commune, τρῖψις τοῦ προσθίου *frictio præputii*, ſed non infallibiliter calculum notans.

Argumentum clariſſimum infelicis diureticorum usûs ſuppeditavit nobilis vir, qui perſuaſus ſe à magni nominis medicô impetraſſe medicamenta, quæ calculum renum ceræ inſtar liquefacere poſſent, paroxyſmo acritèr inſtante, medicô præſente quantumvis reluctante, eadem adſumſit. Quid fit? ſequuntur cruciatus, vomitus, cordis anxietates, ægro diris devovente medicum, medicamenta, eademque per feneſtram in plateam dejiciente. Hæc mala quilibet cervici ſuæ imminere certò teneat, improvidum qui hîc ſe gerit.

II. Τὰ οὐρητικὰ, *autore Hippocrate lib. de affectionibus ſub finem*, ξηρά ἐστι καὶ ψυχρὰ *frigida ſunt & ſicca*, & eo nomine opponuntur διαχωρητικοῖς, *dejectoriis per alvum*, quæ ſunt ἔγχυλα καὶ φύσει θερμὰ, *ſucci plena & naturâ calida*. Illa proſunt in paroxyſmo, cum leniendò humectandoque compagem calculorum diſſolvere conſilium eſt. Adjũgi his poſſunt temperata uretica, in utrâque qualitate, imò leniter calida & humida. Talia ſunt ſemina frigida, malva, althæa, paſſulæ, ficus. &c.

Ουρητικὰ hæc ALTERANTIUM vicem ſuſtinere queunt. Vim habent moderatè abſtergendi, attenuandi, refrigerandi, calorem renum ſanguinem adurentem & aquoſitatem ejus abſumentem reſolvendi, quod denſum eſt, attenuandi; viſcidum abſtergendi, dolores mitigandi, viresque conſervandi.

SIMPLICISSIMUM tale παρηγορικὸν eſt *oleũ amygdalanum dulcium cum cereviſiâ* vel *vinô calidô* miſtum & crebriùs hauſtum.

℞. *ol. amygd. dulc.* ℥*j.* *amararum* ʒ*ß.*
ſirup. papaveris ʒ*ij.* *vini malv.* ℥*iij.*
M. Dentur per vices benè miſtorum cochl. ij.
ex vitro.

Crato in conſiliis ſuis commendat decocta hæc ſimpliciſſima.

℞. *paſſul. major.* *rad. althææ. a* ʒ*ß.*
fol. veronic. p. i. *coq. in aquâ q. ſ.*

 Cola-

Colaturæ ℥iiij, adde
mellis puri, *butyri recentis a ℥ß.*

M. f. potio. S. Lindtränckleín.

Hùc pertinet decoctum ſummoperè in caſu deſperato à *Foreſto lib. 24. obſ. 26.* commendatum.

℞. *ſem. malv.* *althææ a. ʒiij.*
cicer. rubr. ℥iij. *ſem. 4. frig. maj. a ʒij.*
hordei mundat. ℥ij. *caricar. pingu. n. IX.*
ſebeſten. recent. n. VII. *glyzyrrh. raſ.* ʒvi.

F. decoctum, cum aq. fontanæ ſufficiente quantitate, ſecundum artis regulas. De hâc aquâ per intervalla ſumatur hauſtûs.

℞. *radic. althææ ℥ij.* *paſſul. maj. ʒiij.*
herbar. veron. *hederæ terr. a. p. iij.*
Coq. in ſ. q. aqu. fontanæ.
Edulcetur ſaccharo. M. detur in fictili.

Edulcatio hæc optimè fieri poteſt *ſirupo dialthææ;* addi etiam poſſunt *ſpiritus* 🜍 *aliquot guttæ.* Exhiberi poſſunt hæc decocta, extra & in balneô.

In paroxyſmô hoc ſæpe fecit officium per intervalla repetitum.

℞. *rad. cichorij.* *althææ a ʒij.*
petroſelini ʒj. *glycyrrh. raſ. ℥j.*
cicer. rubor. ℥ij. *hordei mundi m. ß.*
paſſul. major. *minor. a ℔ß.*
ſem. malvæ. *althææ a ʒj.*
4 frigid. maj. a ʒiß *caric. ſuccul. no. X.*
Coqu. in *ſuffic. q. aquæ font.*
Colaturæ ℔ adde
ſpiritus ⊖ ℈ß. ⊕. gut *iij.*

M. Lenit vias hoc decoctum.

Diuretica admiſta ſunt levia, in paucâ quantitate. Vim laxantium ad renes deducunt magis, quàm novam materiam tartaream advehunt. ὁ ἐρέβινθος οὐρητικὸς, *autore Dioſcoride lib. 2. cap. 96.* βλάπτει κύστιν εἱλκωμένην καὶ νεφρούς. Sed ſimul tamen eſt εὐκοίλιος, & in ulceribus omitti poteſt.

Cum

Cum fructu exhiberi poterit nobiliſſimi D. *Timæi l. 3. de morb. infim. ventris, caſ. 39. decoctum* ad vias, per quas calculo tranſeundum, lubricandas, haud levis operationis.

℞ *rad. althææ groſſ. mod. inciſ. & conquaſſat.* ℥vj.
Coq. in aqu. ſimpl. ℔j. *Colaturæ* adde
vitell. ovi unius, butyri majal. parùm.
M. De eô bibat æger per intervalla.

℞. *rad. althææ* ℥ij. *glycyrrhizæ raſæ* ℥j.
cicer. rubr. ℥iſ. *ficuum ping. no: VIII.*
jujubarum ſebeſten a. no: x. paſſul. maj. ℔ſ.
ſem 4. frig. maj. malvæ a. ℥j.
hordei mundi & ſelecti a. Mj.
Coq. leniter, ad unam & alteram ebullitionem
in ▽ ſimpl. Canthar. v.
Colaturæ Canth. iij ſerventur uſui.

℞. *ſirupi rad. althææ ſimplicis ex*
decocto ejusdem, &
ſaccharo reſinato parati. ℥iij.
Sumatur, cochlear. quantum capit ſolus, vel miſtus
cum aq. fl. chamæmeli.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM
narcotica interna & externa.

NARCOTICA, urgente dolore nonnulli commendant, parata ex opiatis:

℞. *laud. opiati g. iij. mag. lapi d, 69. g. ij.*
tinctur. ♀. *q. ſ.*
F. pilulæ *ij.* S. Schmertzpillen.

℞. *aq. fl. chamæmel.* ℥*j. laudani opiat. g. iij.*
Ducatur in mortariô. donec
fiat ſolutio. Adde
ſirup. dialthææ ℥ſ.
M. in fictili S. Lindwaſſer.

℞. *magiſt. anodyni g. v.*
Exhibeatur in ſirupi.
papaveris rhoead. coch. j.

Verùm dolor cùm non habeat aures, ſed ſit ſurdus, & ceu pygmæa, hæc gigantæa æſtimare ſoleat auxilia, ſatius eſt ea omittere.

Aut enim dolor ſponte cedit, aut inſtat, ſi ſponte cedit, ægri ſponte ſua vigiliis diſpulſis in ſomnum labuntur indolentes. Sin inſtet, turbatur magis æger, nullo ſomno ſubſequo.

EXTERNIS, unguentis opium oleo vini ſolutum addi poteſt.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

alterantia externa.

EXTERNA miras hiſce ferunt ſuppetias.

Nihil hîc non moliendum, quo dolori, calculoque ejus effectori obviam eatur.

Commodè autem FOTUS reliquis præmittuntur, ſiquidem moderatè calefaciendo & humectando, poros cutis aperiunt & relaxant, parteſquè ſubjectas blandè demulcent, aperiunt ac dilatant, quibus emollitis ac dilatatis reliquorũ poſtea adhibitorum vis eò promtiùs ac faciliùs penetrat ac deſcendit, ſicquè exoptatum auxilium adfert.

Exoptatior adhuc erit eorum operatio, ſi ſpecies ὄκ ἐν βοείησι κύστεσι non *bubulis*, ut præcipit *Aretæus*, *veſicis* has enim non tam promtâ viâ penetrant vires ſpecierum, ſed in ſacculis linteis parti affectæ applicentur, uti præclarè hoc monuit *illud medicorum Lipſienſium ſidus fulgentiſſimum*, Dn. D. *Johannes Michaëlis, Patronus meus, dum Lipſiæ meditrinæ operam navarem, enixiſſimè colendus, in annotatis ſuis in Morellum, de præſcribendis formulis.*

℞. *herbar. althææ,*	*malvæ,*
branc. urſin.	*mercurial. aa. m. j.*
fl. lil. alb.	*malvæ.*
chamæm.	*meliot. a. m. ß.*
ſem. lini ℥ j.	*ſummit. aneth. ʒ iß.*

Conciſa atquè contuſa indantur ſacculo lineo.

S. Euſerliche erweichende und ſchmertzſtillende ſpecies.

Sacculus ſpeciebus hiſce refertus lacti vaccino calido immerga-

mergatur, & lumbis dolentibus in renum; in veſicæ verò calculo parti anteriori ſupra pudenda calidè applicetur.

Fotu præmiſſo, ſi dolor non cedat, æger in BALNEUM ducatur.

Balneum in OLEO commendat *Aretæus*, τὸ γὰρ τοι πάντα ποιέει ἅμα· ἀλέη μὲν χαλᾷ. Πῆ δὲ ἐγγλιχραίνει. Τὸ δριμὺ δὲ ἐς προθυμίην δάκνει. *Id enim ſimul omnia præſtat. Nam tepor relaxat, & quodammodo lentorem adfert. Acrimonia verò ad excernendi promtitudinem invitat.*

AQUÆ DULCIS balneum ſubſtitui poteſt, moderatè calide. Θεραπεύειν δεῖ τοὺς ἔχοντας λίθον ἐν τοῖς παροξυσμοῖς, διὰ τῶν χαλᾶν καὶ παρηγορεῖν δυναμένων, καὶ προσέτι τρίβειν, καὶ ὑπεξάγειν τὸν λίθον. ἄριστον οὖν ἁπάντων τὸ λουτρόν. οὐ γὰρ μόνον παρηγορεῖ, ἀλλὰ καὶ θεραπεύει, ait *Trallianus*; *calculo affecti in acceſſionibus quidem medicamentis curari debent, quæ laxare, lenire, & prætereà comminuere & calculum educere poſſunt: omnium igitur optimum eſt balneum, ut quod non ſolùm mitiget, ſed & curare poſſit.* Poſſunt cum fructu parari ex emollientibus & calculum frangentibus. Paradigmatis locô ſit ſequ.

℞. *herbar. ſaxifrag.*	*petroſel.*
parietar. violar.	*anethi aa. m. iij.*
fl. chamæmeli m. vi.	*malvæ ſum. anethi M iij.*
rad. althææ.	*ononidis aa. ℥ iv.*
ſem. lini,	*fænugr. aa. ℥ ij.*
baccar. juniperi ℔. j.	*lauri ℥ ij.*

Groſsô modô conciſa atque contuſa D. S. ſpecies zum Bade.

Conſutæ in ſacco, vel aquæ innatantes coquuntur.

Intentione noſtrâ citiùs potiremur, ſi ægro vel in balneô adhuc commoranti, vel illô egreſſuro potiunculam quandam ex prædictis indicationi reſpondentem exhiberemus. Auſus hoc fuit cum fructu in tali caſu *Unzerus olei mygd. dulc. recent. ℥ ij olei terebinth. g. 6. vel 7. cum vinô calidô propinans.*

Poris beneficiô fotuum & balneorum recluſis, ac partibus emollitis haud leve ægris promittunt auxilium *linimenta.*

Sic in calculô renum, à quô metuenda inflammatio, optimè proderit ſequens:

℞. unguenti roſati, refriger. Galen. aa. ʒiij.
ſacchari ♄ ℈ß. ol. nymph. & ceræ parum.

S. Nierenſalbe/ quô inungatur regio lumbaris.

Ad Perinæi, pectinis & ſcroti inunctionem in calculô veſicæ commendavit, *Dom. D. Balthaſar. Timæus* à Gůldenklee *l.* 3. *caſ. piact.* 39. p. 177. ſeq. linimentum.

℞. olei nucl. perſic. ſcorpion. ſimplicis
hyperici a. ℥ß. fl. verbaſci ʒij.
pingued. cuniculi, gallinæ. a. ʒ vi.
ſucci raph. acerrimi ℥j

M. fiat unguentum, alternandum vel cum *unguentô dialthææ*, cui guttulæ aliquot *olei terebinth*, ſint admixta; vel cum *cataplaſmate ex farinâ lini & fœnugræci cum ſanguine cervinô ſubactâ.*

℞. unguenti dialthææ ʒ ij. pingued. gall.
medullæ cervinæ recentis ʒj crucum vituli ʒij
ol. lil. albor. ʒj ſcorpionum ℈ ij.
ceræ ſtillatit. & terebinth. à ℈j
cum cerâ & croco q. ſ. fiat unguentum.

S. Euſerlich Sålblein wieder die Stein-Schmertzen.

Unguentô hocce crebrius uſurpatô ſæpè ſæviſſimos calculi dolores ſedatos fuiſſe, experientia *Unzerum* docuit, ut patet ex *pag.* anteà allegatâ.

Magnis etiam vulgò effertur laudibus *cataplaſma ex cancris* compoſitum, cujus compoſitio *magno Cratoni* ſuam debet originem.

℞. cancros vivos, per medium diſſectos. x.
Coqu. in ſ. q. lactis.
Contundantur: iterùm coquantur.
Succum fortitèr exprime, quo imbue
medullæ panis albi ℥. v. adde
vitell. ovorum. n. iij.
olei amygd. dulc. ſcorpionum a ʒj.
nucleor. perſic. ceraſor. a ℈iß.
croci optimi ʒj.

Hæc

Hæc per minutiſſimas partes miſceantur in *mortariô:* poſtea extendantur in pannô lineô, quod parti affectæ applicetur.

Laminam plumbeam ex mente nonnullorum regioni renum adhibendam; ut & *pentacula* ſeu *ſigilla*, certis characteribus ad certos cœli poſitus & configurationes, ſeu planetarum conſtellationes inſignita & notata, à calculoſis procul exulare jubemus, cum nullius deprehenſa ſint efficaciæ, & Chriſtiano homine indigna. Pluribus ſuperſtitioſam hancce nonnullorum ſententiam ſeu potius delirationem exagitavit & confutavit prælaudatus *Unzerus l. 1. de nephr. c. 22. & 25.*

Lithontriptica per ſyphonem injicere in calculo veſicæ minus tutum & utile. Tentavit quidem hoc *Balthaſ. Timæus*, ut patet ex *l. 3. caſ. medicin. caſ. 39.* & *miſturam quandam* ex lithontripticis & laxantibus debitô modô concinnatam per catetherem veſicæ pueri injiciendam curavit, ſed ut eventus docuit, nullâ ſubſequente ſublevatione.

CAPUT DECIMUM NONUM chirurgica in paroxyſmo proponit præſidia generalia.

SANGUINIS MISSIO ſæpe magni auxilii vicem ſuſtinet, commendata ab *Aretæo curat. diuturnor. lib. 2. cap. 3.* & imprimis *lib. 2. curat. acut. cap. 8.* Non ſolùm, *inquit*, inflammationes renum, *ἀλλὰ καὶ σφηνώσιες τῶν λίθων, χαλῶνται τῇσι τῶν ἀγγείων κενώσεσι. ἀτὰρ ἤ δὲ ἐν οὐρήσει διεκθέουσι οἱ λίθοι, ſed etiam calculorum intruſiones vaſorum inanitione laxantur: quin etiam per mictum calculi elabuntur.*

Licet enim calculus per ſe haud indicet *phlebotomiam*, cum beneficiô V. S. ſublatio ejus expediri nequeat; attamen cum calculus attritu ſuo dolores in vicinis partibus excitet ſæviſſimos, quæ exindè dolentes & calentes alliciendo ex partibus etiam remotioribus ſanguinem, *inflammationem* concitare poſſunt, haud inconſultum erit, ſanguinem quantitate & motû peccantem hac ratione retrahere, ſimulquè cum eô cauſſam

metu-

metuendæ inflammationis evacuare. Favent huic intentioni viri de re medicâ præclarè meriti *Reiner. Solenand. l. conſ. ſect. 1. conſ. 15. 16. & 17. Jul. Cæſ. Claudinus l. reſponſ. & conſult. conſ. 7. Lazarus River. prax. med. l. 13. c. 1. de calc. ren. p. 109. 111.*

In magnâ plethorâ venæ ſuperiores, in mediocri, quæ è directô eſt in malleolô vel pede ſecētur. *Lazarus Riverius cent. 2. obſervat. 15.* in viduâ nephriticô laborante dolore, qui à rene ſiniſtrô ad pubem ſe extendebat, ſecundùm longitudinem ureteris cum urinæ retentione & micturitione, nihil proficientibus aliis remediis, clyſteribus cum aquâ benedictâ, terebinthinâ, laudanô, nec balneô, aperuit venam malleoli, & ſtatim ſanguine miſsô quievit dolor ingens, ſuperſtite ſolùm obtuſiore.

QUANTITAS *mittendi ſanguinis* tùm à plethorâ, tùm viribus petenda. Si enim adſit plethora inſignis, & vires robuſtæ, *largiorem* ſangvinis evacuationem; ſi verò corpus ſit emaciatum, vel minùs ſucculentum, viresquè doloris vehementiâ proſtratæ *parciorem*; vel *hirudinum appoſitionem*, aut ſaltèm *crurum ſcarificationem* poſtulabunt. Quamvis enim veteres largiorem ſangvinis extractionem adhibuerint, & vix infra ℔ ſubſtiterint, ut patet ex *Galenô*: *Itali* etiam, *Galli* & inprimis *Hiſpani* hodiernô adhuc tempore ſine incommodô ſuſtineant; noſtra tamen corpora vix tantam ſangvinis miſſionem ferunt, nec periculô vacat eam tentare. Nullus enim medicorum facilè æſtimare poterit, quæ poſt tàm copioſam ſangvinis evacuationem vires ſint remanſuræ, utpotè quæ ſæpe variis ex cauſſis etiam inſperatò poſſunt dejici. Ad ℥ tamen IV, V, VI. pro viribus & plenitudine ægrotantis poteſt detrahi.

Imò affectû ulterius procedente, apertio HÆMORRHOIDUM erit utilisſima, ad inflammationis metuendæ præcautionem, juxta *Hippocr. ſect. 6. aphor. 11. melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenientes bonis ſunt.* Nam ex iisdem truncis vaſa ſparguntur ad renes, veſicam & hæmorrhoides, adeoquè medicus, naturæ miniſter, eam ſibi præeuntem non ſine ſolamine ægri poterit imitari. Iis autem potisſimùm & cum maximò juvamine aperiendas eſſe cenſemus, qui antea fluxio-

fluxioni harum venarum fuere obnoxii, ac poſtea ſuppreſſæ. Conſulatur *Hollerius comment.* ad allegatum *aphoriſm* qui hæmorrhoidum uſum in cruciatibus renum notabili quâdam hiſtoriâ illuſtravit.

CAPUT XX

ſpecialia in paroxyſmô chirurgica præſidia, ablationem ipſam, & primò renalis calculi concernentia proponit.

TRia in calculô ſpectantur: γένεσις, διαμονὴ, καὶ διέξοδος, *generatio, manſio, & exitus*.

Ad generationem, quæ eſt indolens, parùm confert chirurgia momenti, ut & dum quieſcit, tum enim non magnam creat moleſtiam, ſed dum παροξυσμεῖται, tunc enim cœlum miſcet terræ, infernum dolorum abyſsô calamitatum: vita habetur in abominatione, mors in lucrô. Unica in votis eſt exſtirpatio & eradicatio.

Scopus hic obtinetur, ἀφαιρέσει καὶ μεταθέσει, *ablatione vel transpoſitione.* Utriusque meminit *Galenus, ars medicinalis, inſcripto libro, cap. 87.* ὅσα δὲ περιττὰ κατ' ἀριθμὸν, inquit, *ἀφαίρεσις ἐστὶν αἴτιον ὑγιεινόν. ἐπισκέπτεσθαι δὲ, ἐφ' ὧν δυνατόν. εἰ δὲ ἀδύνατον φαίνοιτο, μεταθεῖναι πειρᾶσθαι. Quæ numero excedunt, his* ABLATIO *cauſſa ſalubris exiſtit: inſpicere verò oportet, in quibus id fieri poſſit: nam ſi impoſſibile appareat,* TRANSPONERE *eſt tentandum.*

Ἀφαίρεσις, ABLATIO pertinet ad illam ſpeciem operationum chirurgicarum, quæ vocatur ἐξαίρεσις, EXTRACTIO, fitque in veſicali præviâ exploratione, & ſectione, quæ λιθοτομία dicitur.

RENALIS calculus eam reſpuit, utpotè infelicis eventus. Rationes à *Tulpiô libr. 4. obſervat. cap 27.* allatæ magni ſunt momenti. Sed *Hippocrates libro* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν *de internis affectibus,* νεφροτομίαν tutam videtur adſerere, & ſalutarem, cum collectâ in rene pituitâ, ex quâ naſcuntur λίθοι λεπτοὶ, οἷον ψάμ-

μος lapilli parvi, ut arena, agnoſcere anchoram. *ὁκόταν ὀδύνη ἐμπέσῃ, καὶ ὁ νεφρὸς ἀποιδήσῃ καὶ ἐξαρθῇ, ὑπὸ τοῦτον τὸν χρόνον, inquit, τάμνειν κατὰ τὸν νεφρὸν, καὶ ἐξελὼν τὸ πῦον, τὴν ψάμμον διουρητικοῖσιν ἰῆσθαι. ἢν μὲν γὰρ τμηθῇ, ἐλπὶς ἐκφυγεῖν. ἢν δὲ μὴ, ἡ νοῦσος τῷ ἀνθρώπῳ συναποθνήσκει. Cum dolor urget, & intumuerit & extuberarit, ſub hoc tempus juxtà renem ſecato, & extracto pure, arenam urinam medicamentis cientibus curato. Si enim ſectus fuerit, evadendi ſpes eſt, alioquin morbus hominem ad mortem comitatur.*

Ambroſius Paræus libro 24. cap. 19. ex Monſtreleti chronicis narrat, reum capitis, calculoſum (ſine dubio ex renibus) à Galliarum rege Medicis donatum ut ſectionem experiretur, ſicque delictorum veniam impetraret, conſenſiſſe, & liberatum à calculis, & pœnâ vitæ.

Franciſcus Rouſſetus de partu cæſareo ſect. 3. cap. 8. quamvis difficilem hanc cenſeat operationem, & nunquam attentandam, attamen probabiliter diſputat, poſſe eam, ſine mortis neceſſitate, perfici, non quidem in parte carnoſa verſus lumbos circà vertebras, ſed circà *λαγῶνας ilia:* renem etiam tutò aperiri poſſe, modò alter ren ſit ſanus, & utriusque munus ſubire poſſit.

Verùm non ſemper natura viam ſuppurationis monſtrat, calculoſæque emigrationis. Hâc luce deficiente, & ilia & renes ferro tentare, calculosque eximere ſit piaculum, facinusque nefandum.

II. Paræi hiſtoria ex Monſtreleto fidem raram invenit.

III. *Rouſſetus*, famæ aucupio deditus, pro ſuâ curioſitate, arti poſſibilem eſſe hanc *ἐγχείρησιν* oſtendere voluit.

CAPUT XXI.

extractio veſicali calculo medetur.

VESICALIS magnum emolumentum à *κυστοτομία* ſibi promittit, imò ſi magnus ſit, unicum ad eam habet refugium. Huic cedit, nullis purgantibus, diureticis, lithontripticis obœdit.

Hæc

Hæc cum abſtergunt mucum, dolores augent. Temeraria eſt omnis medicina, peſtifera, & ſæpe mortifera, *verè ait Ludovicus Duretus*, quæ frangendo veſicæ calculo adhibetur. Cui profecerit, vidi adhuc neminem, permultos autem, quibus exitio illa fuit. Unicum remedium calculi in ſectione & exciſione.

Tres operationis hujus partes, exploratio, ſectio, & extractio, diligenter ſunt conſiderandæ.

EXPLORATIO fit cathetere. Fiſtula ſeu ſyringa tentativa vocatur à *Marianô Sanctô*. Non priùs ad ſectionem accedendum, quam calculum non adnatum, ſed fluitantem & vagum adeſſe certò indiciô tactûs, reniſûs, imò nonnunquam etiam ſonitûs, qui tum imprimis auditur, cum catheter calculum digitis duobus, indice & mediô, per anum immiſſis in collum veſicæ intruſum tangit, compertum. Operatio difficilis eſt, & Pariſiis non omnibus, ſed certis chirurgis dexterioribus ſolùm concreditur. Lædi poſſunt partes, per quas tranſit, imprimis foramina veſicarum ſeminalium, & proſtatarum in urethram hiantium. Tam exercitati ſunt nonnulli, ut magnitudinem, numerum, figuram, prædicere valeant. Solertiam hanc in Patavinis medicis admiratur *Bartholinus centur. 5. hiſtor. anatom. obſerv. 57.*

SECTIO peritâ debet fieri manu, in ægro *boni habitûs*, & integrarum *virium*. Sollicitudo *Corn. Celſi de tempore* ætatis, quod ſolùm conveniat non ante nonum, neque poſt decimum quartum, inanis eſt. Omnes *ætates* admittit, ſenes quinquageſimum, ſexageſimum & ultrà transgreſſos annum, viros, juvenes. Omnia *anni tempora* commoda ſunt, tempore neceſſitatis. *Marianus Sanctus libro de lapide veſicæ excidendo cap. 3.* eligit autumnum, utpote temperiei veſicæ frigidæ & ſiccæ, conformem, quem poſt excipit floridum, & amœnum tempus vernum, cum æſtatis initio. Vernum tamen præcipuè eligitur Pariſiis. Ex totô regno undiquaque pueri, imprimis calculoſi tunc confluunt, & in hoſpitali Divæ Virginis, imprimis in ſuburbiô *Divi Germani*, in hoſpitali CHARITATIS, à Chirurgis ordinariis lithotomis ſecantur. Non ſinguli planetarum *aſpectus* ei favent. Membrum ferro non percutito, *inquit Ptolomæus* cum ☽ ſi-

 ſignum

gnum tenuerit, quod illi membro dominatur. Caveatur ergo ♄ & ♂ □ cum ☽. ſeu conjunct. maximè ſi ♎, ♏que vagantem ☽ fuerint hoſpitati.

Tuta eſt ſectio eâ lege, ut fiat potiùs amplior, mente præconceptâ magnitudine, quàm anguſtior. Sin brevius fuerit foramen & anguſtius, & cultrum de novo adhibere non liceat, dilatatoria adhibere par eſſet. At 1. tum fibræ violenter divelluntur & veſicæ, & ſphincteris, ſi tactus ſit ex parte: & tamen inde vulnus non fit majus. 2. Cum itaque anguſtum maneat, in extractione forceps vel cochlear lædere ſolent labia vulneris, 3. ipſe calculus ſtringit & irritat eadem. Singulis modis obortæ inflammationes & febres accelerant interitum.

Falluntur nonnunquam lithotomi à foramine exteriùs amplo, interiùs anguſto. Diductis cruribus cum ſuprà lapidem, per anum immiſſis digitis, perinæo approximatum, culter ex anguſto mucrone ſenſim lateſcens adigitur, cutis vulnerata amplum & diductum exhibet vulnus, interiùs autem in veſicâ anguſtius eſſe poteſt, & ſic lapidi exitum denegat, adeò ut ſummâ cum animi perturbatione & deſperatione nonnunquam cultrô uti cogantur, quod tamen rariſſimè imò nunquam benè cedere ſolet.

EXTRACTIO, cum vulneris labia facilè lædantur, indeque inflammentur, periculoſior eſt ſectione. Id metuentes nonnulli provectæ ætatis, cum magnus calculus, qui ſine vitæ periculo eximi nequit, neque enim tam amplum vulnus ſalvâ vitâ fieri poteſt, cum nonnunquam totam veſicam impleat, ſolâ ſectione contenti ſunt. Labia vulneris callo obducta immiſsô canali argenteô aperta ſervantur. Urina non amplius per penem, ſed per calloſum perinæi foramen effluit, ſicquè æger à mictionis moleſtiâ, ἡ μὲν ἰσχουρία, ſuffragiô *Aretæi lib. 2. de diuturn. cap. 4.* δυνατωτάτη κτεῖναι, *quæ in calculô veſicæ vitam auferre*, & vel ſola tædium ejus adferre ſolet, liber evadit, levius incommodum urinæ incontinentiam minoris æſtimans momenti. Hæc curandi ratio, ut obſervavit Romæ *Rolfincius*, placuit eminentiſſimo cuidam Cardinali, heroicô animô operationi ſe ſubjicienti. Et res benè ceſſit.

CA-

CAPUT XXII.

dubia moventur contrà κυστοτομίαν.

AUTORITAS magni *Hippocratis* ſuſpectam reddit eam, dum *libro* περὶ ὅρκου jurat: οὐ τεμέω δὲ τοὺς λιθιῶντας. *non ſecabo calculo veſica laborantes.* ἐγχωρήσω δὲ ἐργάτῃσιν ἀνδράσι πρήξεως τῆσδε. *cedam autem magiſtris hujus operationis, ſeu operatoribus.*

Abimeron Abynzoar adſcribitur ſententia, quod ſtatuerit extractionem calculi veſicæ tam turpem, & abominabilem, miſeramque rem eſſe, ut non tantùm non exerceri, ſed ne adſpici quidem ab honorato viro debeat.

RATIONES multæ contrà eandem militant.

I. Crudelis eſt operatio.

II. κύστιν διακοπέντι, *autore Coo 6. aphor. 18.* θανατῶδες, *veſicam profundo vulnere lædere, lethale:* ſed hîc omnimoda adeſt διακοπὴ, diſciſſio, &, *ut loquitur Philotheus,* διὰ βάθους διαίρεσις, *diviſio ad profundum,* tranſit vulnus usque in cavum, nec anguſtum eſt, ſed longum, fibras divellit, earumque continuum planè ſolvit.

III. Coaleſcere non poteſt vulnus, eſt enim pars ſpermatica, membranoſa.

IV. Medicina gravior morbo, dolores intolerabiles, inflammationes gangrænas comites habens.

V. Difficile curatu vulnus. Lenta ejusdem conſolidatio extenditur nonnunquam ad quinque vel ſex ſeptimanas in ſenibus, in pueris breviori temporis intervallo contenta. Quæ hîc non poſſunt naſci ſymptomata? Seniores ſunt, impatientes, ſitis & quietis, refractariè ſe movent hinc & inde, in lecto.

VI. Calculus quamvis auferatur, morboſæ tamen diſpoſitiones manent, calculorum de novò generatrices. Facilè contingere poteſt, ut forcipe dentato & mordaci apprehenſus diſſiliat, minuti alii calculi relinquantur, vel adnatus veſicam poſt ſe trahat, aut cochleari labia vulneratæ veſicæ lædantur.

VII. Vulnere conſolidato exteriùs, interiùs manent ulcera, excernuntur purulenta magnâ cum moleſtiâ.

VIII. Nonnulli impotentiam curati ſentiunt ad venerem, elumbes & enervati.

℞. I. Variæ autorum adſunt explicationes, *Sylvatici cont. med. 94. Valleriolæ enarr. lib. 6. enar. 4. Botalli de medici & ægri munere, Doring. de med. & medico, Freitag. noct. med. Caſtro med. pol. Zwingeri proſcen. med. Lauremb. port. Æſculap. Meibom. juram.* Hoc effatum Hippocratis nihil derogat æſtimationi operationis, quam extorquet dolor ſummus, ortus ex continuâ mejendi cupiditate, nullas habens aures, ut inanem verborum audiat conſolationem, ſed ipſam celeritatem etiam æſtimat moram. Abjurare juſſit Hippocrates λιθοκυστοτομίαν hanc ob cauſam, quod peculiari privilegio certi medicorum miniſtri, ἐργάται χειρότεχνοι, ἐργαστικοὶ in Coorum republicâ eſſent conſtituti, qui calculoſos ſecarent, non refragrantibus, ſed conſentientibus medicis, ad quos proprio jure alioquin hæ operæ pertinebant. Juniores medici collegio adſcribendi hoc ſtatutum ſe ſervaturos fidem dare cogebantur. Inde etiam noſtro ſeculo lithotomi tolerantur, nolentes ſubire hanc ſpartam medici eos commendant, ſecantibus aſtant, monenda monent, hujus ἐγχειρήσεως haud ignari.

II. Invectiva Avenzoaris eſt μὴ ὂν *non Ens, falſum*, & in *toto libro theiſis* non reperitur. οὐκ ἔστι γὰρ τὸ μὴ ὂν ἐπίστασθαι, *autore Philoſopho, i. e. falſi nulla datur ſcientia*, nec ex eo ulla demonſtratio contrà veritatem exſtrui poteſt.

RATIONIBUS ita obviàm itur. I. Crudelitas hæc non eſt in vitio, ſed laude. Abſint non aſtent mollioris animi qui ſunt, nec hanc generoſitatem aliis exprobrent. Chirurgia vitalis medicinæ pars; ut ſervet vitam totius, ſævit in membra. Atque hoc ejus officium eſt. Officium eſſet etiam medicorum, ſed nimis ſunt delicati. Utinam rem noſcerent, & ἐγχειρήσεως fundamenta, poſſentque juſtum operandi modum dirigere, exercitatoribus & operariis, qui varicoſis incedunt pedibus, & calloſis nitent manibus, viam ad benè, citò, tutò, operandum monſtrare. Δεσποτικὴ ἐπιστήμη ἐστὶν, ἡ χρηστικὴ δούλων, *autore, Philoſopho 1. polit. cap. 7. Domini ſcientia eſt, per quam utitur ſervis.* Et quæ ſervum facere oportet, dominus ſcire debet.

II. Hip-

II. Hippocratis ſententia vera eſt ὡς ἐπὶ τὸ πολύ.

III. Vulnera tam colli carnoſi, quam laterum & fundi conſolidationis ſunt capacia, pluribus enim fibris carneis, quæ à nonnullis pro muſculo ſunt habitæ, exſtantque deſcriptæ *in diſſertationibus anatomicis*, præditæ.

IV. Circumſpecti medici eſt, *autore Celſo lib. 3. cap. 9.* novare interdum, & augere morbum, & febres accendere. Nulla dura, *inquit Seneca lib. 1. de irâ cap. 5.* videtur curatio, cujus effectus ſalutaris. Imò nullum ferè eſt auxilium medicum, cujus radices non ſunt amaræ, quæ non lacerent, quæ noxam animo & corpori non inferant. Purgantia turbant corpus, cauteria incendunt, gangrænæ amputationem, exciſionem indicant. Omnia magni fiunt, cum fiant bono fine, in ſalutem ægri, & majus malum, & vivam præcavendi mortem. Cum itaque, veſicæ calculo dominante, dyſuria vitam acerbam pariat, perpetua veſicæ contentione & niſu inſatiabili, morti dolorificæ parallelam, & nullo alio auxilio ſit locus, hoc arripiendum, cum firmo propoſito ſymptomatibus obviam eundi.

V. Conceditur lentam eſſe curationem, ſed opus eſt patientia. Opponantur tot ſeptimanarum moleſtiæ cum vitæ totius ærumnis, & levius in bilance pendere deprehendentur.

VI. Negari non poteſt, multa incommoda ſequi. Sed prudens operator caveat, ne in retia talia incidat. Satius eſt anceps auxilium, quàm nullum.

VII. Sit ita: minora omnia hæc ſunt mala, præ aliis gravioribus, pauca præ infinitis.

VIII. Levis eſt jactura ſepulchri illius aphrodiſiaci.

CAPUT XXIII

de loco λιθοκυστομίας agit duplici, perinæo, & hypogaſtrio.

PERINÆUM eſt locus vulgatiſſimus, non quidem ſecundùm lineam ipſam per medium ejus & ſcroti diſcurrentem, cutis emicantis & eminentis ſobolem, chorda ſeu τράγος in ſcroto quæ appellatur, παρὰ τὸ τραχὺ δέρμα ἔχειν, *quod duram cutim habeat,*

beat, ſed ſecundûm latera. Locus commodus eſt expulſioni, propter ſitum declivem, & quod calculus ponderoſus naturalem inclinationem deorſum verſus habeat.

ALTERIUS loci mentionem facit *Franciſcus Roſſetus lib. de partu cæſareo ſect. 3. cap. 7.* in HYPOGASTRIO, hancque novam veſicalem ſectionem adſcribit Franconi, qui inter chirurgos præſtantiſſimos illius temporis habebatur, eamque in puerulo exercuit.

Sed perſiſtendum cenſemus in priori, ſæpius & multis experimentis comprobatâ.

CAPUT XXIV
modus operandi.

DUplex hic eſt: majoris & minoris apparatus, in chirurgorum libris adnotatus.

IGNITO CULTRO ſectionem factam felicius ſucceſſuram cenſet *Horatius Augenius tomo 2. epiſt. & conſult. libro 9. epiſt. 8.* ad Sigismundum Kolreuterum medicum electoralem Saxonicum. Hancque ſecandi rationem adhibuiſſe Romæ quendam ex ſuis diſcipulis, ac ferè omnes ſanitati reſtituiſſe refert.

Sed id nemo perſvaderi ſibi patiatur.

SINE SECTIONE calculum veſicæ extrahendi modus Ægyptiorum ab Alpino propoſitus *libro 3. de medic. Ægypt. cap.* 14. in magno locum non habet. Suctione, quanta quanta illa ſit, nunquam urethra ita dilatabitur, ut tranſeat calculus magnus.

Parvus parvi nuclei dactyli, vel olivi æquans magnitudinem, cujus ultimi exemplum affert Alpinus, ſpontè ſuâ etiam exire ſolet.

CAPUT XXV
altera ablationis ſpecies proponitur, nempe tranſpoſitio è collo veſicæ.

Μετάθεσις TRANSPOSITIO neceſſaria eſt, cum calculus ex *pelvi* renis, beneficio roboris naturæ, vel medicamentorum

rum protruſus, hæret in uretere, ibique vel ob loci anguſtiam, vel virtutis imbecillitatem, loco non movetur, dolor acutus adeſt, aliaque ingruunt ſymptomata: ſimiliter, cum veſicæ *collo* ſe inſinuat, illud obturat, vel in urethrâ ſubſiſtit.

CUCURBITULA ſicca IN RENALI primum obtinet locum. ἔλυσε καὶ σικύη κοῦφη ποτὲ, *inquit Aretæus cur. diuturn.* τῶν λίθων τὴν ἔνστασιν· ἄριστον μὲν, κἢν ἐπὶ φλεγμασίης χάσης. *Nonnunquam & ſicca cucurbitula calculorum vexationem ſuſtulit: optimumque fuerit, ſi ſuper inflammatione ſcarificaveris.*

Applicatur exhibito priùs per os oleo amygdalarum dulcium, ut viæ dilatentur, cum multâ flammâ, paulò infrà locum dolentem. Inde lapis movetur, & ad veſicam vergit. Nonnunquam ſalutariter ſuprà applicatur, imò ad latera. Unus ſolus ſcopus calculi transpoſitio.

IN VESICÆ COLLUM, vel ob appulſum, conſtringente ſe veſicâ, vel ob illapſum à pondere vel motu corporis, impacto lapidi etiam debetur transpoſitio. Prolapsûs in collum mentionem facit *Hippocrates Cois prænotionibus:* οἱ λιθιῶντες σχηματισθέντες, ὥστε τὸν λίθον μὴ προσπίπτειν πρὸς τὸν οὐρητῆρα, ῥηϊδίως οὐρέουσι. *Calculo veſicæ laborantes, ſi lapis non incidat in urethram, faciliùs urinam excernunt.* Hæc ſituatio pertinet ad τὰ σχήματα τὰ ῥηΐζοντα, *figuras levantes & facilitantes.* Cum ergo collum veſicæ obturatur, opera danda ut revocetur & deducatur in cavum. Obtinetur ille ſcopus, cum decumbunt in dorſo. Sin minus, conducibile eſt, ægrum pedibus in altum elevatis concutere.

Καθητηρισμὸς hîc locum habet, quo illuſtris Heslerus, Saxonicus Ducalis conſiliarius, noſtri ſeculi, dum viveret, Alcinous, cum renales calculi majores in collo veſicæ ſubſiſterent, & δυσουρίαν dolorificam inducerent, ſæpe liberatus. Fit vel cathetere argenteo, quo non ſemper opus, vel cereâ candelâ. Ille, conſilio Rolfinciano, utebatur cereâ candelâ tereti, ſartoribus, dum fibras ſericeas incerant, notâ.

CAPUT XXVI.

transpoſitio ex urethrâ.

IN URETHRA ſi ſubſiſtat lapillus, isque vel anguloſus, aſper, vel glaber, & rotundus, ſingulari opus eſt ἐγχειρήσει, & inſtru-

ſtrumento, quod experientiâ Rolfincianâ in ſummo neceſſitatis caſu, ſæpe profuit.

Inſtrumentum, eſt canaliculus argenteus excavatus inferiori parte, ſuperiori integer teres, cum cavo extremo, oleo inunctum, intrudendum in os virilis glandis. 2. Per inſtrumentum infundendum oleum amygdalarum dulcium. 3. Digitis, pollice & indice imprimis urethra comprimitur mox à lapide, der Stein wird hintergriffen/ ne retrocedere queat. 4. Opera danda, ut ſpecillum auriculæ vel cochlearis in modum in apice excavatum, ſub lapillo demiſſum eum prætereat, ipſumque ſuo cavo comprehendat. 5. Per foramen inſtrumenti ore admoto inſpiratur halitus, ut dilatetur canalis urethræ. 6. tum lingvâ foramini admotâ, ne ſpiritus inflatus retrocedat, dentibus apprehendatur inſtrumentum, & ſenſim cum lapillo extrahatur.

Infanti ſex ſeptimanarum, lapillus propè glandem ſubſiſtens, ſpecillo exili motus & hamulo apprehenſus, in momento extractus.

In urerhrâ mediâ ſi magnus ſubſiſtat calculus, *nonnulli Lanfrancum imitati chirurgiæ magnæ completæ doctrinâ 2. tr. 3. cap. 8.* audacter ferro eam ſecundùm longitudinem aperire jubent, ſpem conſolidationis facilis facientes. Sed nullum hujus chirurgiæ habemus experimentum. Qui ſubſtiterunt, rotundi vel dactyliformes levi digitorum ſubſidio, vel balnei ope liberati. Potu liberaliùs hauſto, & urinâ vi detentâ, poſt *ἀθρόως ſubitò* emiſsâ & *confertim*, ſponte exierunt, violento impetu cum ſonitu parietibus & fundo vitri alliſi.

CAPUT XXVII

extrà paroxyſmum curationem calculi proponit.

EX CHIRURGICO fonte convenit SANGVINIS miſſio per venam ſectam, & cucurbitulas ſcarificatas, vere & autumno inſtituenda.

Ex PHARMACEUTICO conveniunt

1. LENIENTIA ex *caſſiâ*, *ſirupo roſarum ſolutivo*, *coloſtro*

Plate-

Plateriano ex terebinthinâ. Sed ingratum eſt, ægrique idem averſantur. LENITER PURGANTIA etiam conducunt.

℞. *magiſt.* ♀. *⊖lati,* *ſalis ononid. a. g. iij.*
gialap. ℈ß. *ol. aniſi g. iiij.*
In charta. S. Kindpulver.

PRÆPARANTIA ſuccedunt, omnibus nota:

PURGANTIA per alvum ſuum faciunt officium, in formâ pulveris, pilularum, infuſi, decocti.

Unzerus in florileg. ſui de nephr. l. 1. c. 27. p. 139. ſeq. valdè commendat potionem:

℞. ∇ *æ alkek. & ſaxifr. aa.* ℥vj. *ſirup. de parietar.* ℥ß.
extr. panchym. croll. ʒß. *magiſt.* ♀*ri* ⊖*ti* ℈j.
M. pro potiunculâ. S. laxirendes Steinträncklein wohl umbzurühren.

℞. *ſalis ononidis,* *juniper. a. g. vj.*
pulv. laxat. veg. Rolf. ℈j. *magiſt. ſcammon. g. ij.*
In chartâ. S. Laxierpulver / uff einmahl.

℞. *cathart. terebinth. Mynſ.* *M. F. Pilulæ n. XIX. pro unâ*
extract. cathol. Rolf. a. ℈ß. *doſi.*
tinctur. ♀. ℈ß. S. Laxirende Steinpillen.

INFUSA decocta purgantia hîc habent locum, ſin ægro arrideant.

VOMITUM *Pulverinus cap. 80.* commendat qualibet hebdomade cum ∇ tepidâ & ſirupo acetoſæ inſtituendum. Per eum enim, *inquit,* ſuperfluitates craſſæ à renibus revelluntur, & ægri ab acceſſionibus liberantur. Videntur hi vomitus leniores, haud poſſe ſatiare factam ſpem. Generoſiores noſtrum clima non fert tam frequentes.

Vernalis & autumnalis purgatio ſufficit, vel etiam menſtrua.

℞. *aq. hordei* ℥vj. *diaaſari Fernelii* ʒij. *M.*
℞. *Mercurii vitæ g. v.* *aq. fumaria.* ʒj.
In vitro parvo miſce. Detur in hauſtu cereviſiæ.

DIURETICA hîc locum habent non quidem propriè dicta, calidiora illa, tenuiſſimæ ſubſtantiæ, quæ in vaſis humores fundunt, incidunt, craſſumque à tenui ſeparant, ſed ἐγηλικὰ humida & frigida aut temperatiora. Inter

SIMPLICIA ſelectiora ſunt: *fol.* plantag. capill. ♀. emollientes herbæ dictæ, *radix* althææ, glycyrrhizæ, aſparagi, ruſci, eryngii, jujubæ, ſebeſten, ficus, amygdal. dulces, ſem. althææ, frigida majora, minora, plantag. baccæ halicacabi veſicarii, alkekengi dictæ.

Inter reſinas excellit ἡ ῥητίνη reſina terebinthina, *judicio Dioſcoridis libro* 1. *cap.* 78. *οὐρητικὴ καὶ, πεπτικὴ, κοιλίαν τε μαλάσσει. Urinam ciens, coquens, maturans, & alvum molliens.* Hiſce qualitatibus palmam præripit aliis diureticis, quæ dotes has non habent.

Frequenter uſurpata, ut reliqua diuretica, non nocet, *autore Riverio praxi*, quia urinas movendo ſimul alvum laxat, ita ut craſſiores humores per alvum deturbentur, qui ab aliis diureticis ad renes deducerentur.

> ℞. *terebinth. cocta ad duritiem ut calidum aereum oleum amittat.* ℥ij.

Formentur pilulæ cum pulvere glycyrrhizæ. Doſis ℈ß. ℈j. ſuperbibatur hauſtus cereviſiæ calidæ, vel aq. hordei.

COMPOSITA ſirupus de althæâ Fernelii & ſimplex Riverii ex ſolo radicis decocto, de glycyrrhizâ, capill. ♀. fragor.

Hæc arenulas minimè ſinunt in calculum concreſcere, urinæ ardorem demulcent, ejusque exitum facilitant.

CAPUT XXIIX.

alterantia & lithontriptica interna.

PRIORA ſunt neceſſaria, ad intemperiem viſcerum, renum & veſicæ corrigendam, illisque ſingulare robur afflandum.

POSTERIORA neceſſaria ſunt, ut *Duelech* ſeu calculus coagulatus, tantorum patrator malorum, *lithontripticorum*, ſeu tartarum domantium & ſalia in corpore coagulata reſolventium & volatiliſantium medicamentorum ope iterùm reſolvatur, hoſpitioquè ſuô, eâ quâ illud occupavit violentiâ, exturbetur. Horum autem medicamentorum tantam vim provida mater, natura, ex ſinu ſuo amplisſimô ditisſimôquè in ſalu-

ſalutem miſellorum ægrotorum effudit, ut illos, qui poſſibilitatem in liquandis calculis, citra corporis offenſam, ſimplicitèr negare auſi ſunt, occultum ſcelus perpetraſſe, imò implicitæ blaſphemiæ, reatum ſibi conſciviſſe, omnipotentis manum impiè curtando, & creatorem, vel ignorantiæ, vel oblivеſcentiæ, vel immiſericordiæ, quaſi non potuerit creare adæquatum & victorioſum remedium huic morbo debellando, temeritate pluſquam paganicâ accuſando, aſſerere cum *Charleton. de lith. p. 148.* ſuſtineamus. *Nullus profectò totô genere immedicabilis eſt affectus. Nullus*, ut ſcribit *Fernel. in præfat. lib. 4. method. med. in nobis poteſt ſubſiſtere, cui non paritèr contrarium remedium natura protulerit; nulla uſquè eſt remediorum penuria, ſed noſtra eorum plerumquè turpis ignoratio.* Hinc ut & hâc in parte nobis haud deeſſet benigna nutrix, pleraquè evidentibus ſignaturis, inſcriptisquè characteriſmis ità depinxit, ut res ipſæ & natura quaſi nobiſcum loqui, ſuamquè indolem & dotes reconditas propalare geſtiant; utinam modò loquelam & ſcripturam illam ſemper percipere vellemus, & poſſemus.

Alii, licet concedant, reverà dari talia medicamenta calculum comminuentia, uſum tamen eorum ſuſpectum reddere conantur, quod quà acida & corroſiva, citra inſignem noxam in venas tranſire nequeant, & ſi uſurpentur, ſtomachus cum inteſtinis neceſſariò citiùs corrodi atquè liquari debeat, quàm ſtomacho & reliquis viſceribus centies durior calculus, ab ore longè remotus.

Duretus quoquè in *Holler. lib. 1. cap. 46.* non eſſe tutum ſucci limonum uſum tradit, quod aphthas facit in ventriculo, unde lienteria. Probat experientia ſua. Vidimus, *inquit*, calculoſum, qui uſu limonum ad frangendum calculum in renibus, lientericus interiit. Hoc diſſecto invenimus calculum majorem ovo gallinæ. Hunc curare non potuimus propter aphthas & virium infirmitatem. Non enim poterat ferre nephritica.

Sed levem admodùm lithontripticis vim infert hæc invidorum ratio & autoritas. Chimico cordi non eſt, duelech per acida & corroſiva tollere: ſed per reſolutiva propria & ſpecifica. Succus citri, ſpiritus ſalis & alia lithontriptica in ſolamen

calculoſis non obveniunt, niſi dimiſsô priùs acore, quoniam reverà ſanatio aut reſolutio duelech, non perficitur acidis, ut neque corroſivis, uti docet Philoſophus ille per ignem illuminatus *Johan. Baptiſt. von Helmont diatr. de lithiaſ. cap. 7. p. 60.* Licet etiam recenſita lithontriptica præter ſpecificam facultatem, acorem & atomos quasdam corroſivas obtinerent, ex eorum tamen uſu non tantoperè metuenda exulceratio ventriculi & meatuum, quos tranſire debent; ſiquidem non per ſe exhibentur, ſed cum juſculis pingvibus, tunicas eorundem humectantibus & lubricitantibus, quò minùs ſalia hæcce corroſiva iis adhæreant; quæ & ipſa in digeſtionibus variis, quas ſubeunt, antequam ad renes & veſicam deſcendunt, acorem & corroſivam facultatem exuunt, ac velut citri immaturi, in ſe prius acidi, per ſolem maturati, dulceſcunt. *Aphthæ* etiam à *Duretô* in contrarium adductæ, non tàm à ſuccô limonum aſſumto, quàm humoribus acribus, mordacibus & bilioſis ad ventriculum præcipitatis provenire potuerunt.

Statuuntur vulgò duplicis ordinis. Quædam enim eorum *manifeſtâ qualitate* operantur, partium nimirum tenuitate in coagulum calculi ſe inſinuantia illiusquè gluten incidentia, ſuntque *diuretica ferè omnia validiora.* Quædam *ſingulari & occultâ proprietate* internum illud λιθοποιήσεως principium enervant & vim coagulativam in eô deſtruunt, calculumquè ipſum in arenas, vel mucum etiam reſolvunt. Hæc ſignatura ſubſtantiæ, natalis ſoli & experientia commendant, ſuntque *petroſel. ſaxifr. lithoſperm. fr. halicacabi veſicarii ſeu alkekeng. cynosbati, baccæ lauri, hederæ, juniperi, lapis judaicus, lyncis, nephrit. oculi canc. nuclei perſ. meſpil. cynosb. malor. armeniac. &c.* exquè his parata *magiſteria, pulveres, ſalia, ſpiritus, eſſentiæ & tincturæ*, in vindicias ſanitatis humanæ à pyrotechniæ magiſtris excogitata, & poſteris fidâ manu transmiſſa.

Cum enim, ut habet *Helmont, ſupplem. parad. num. cit. p. 704.* non quilibet nuncius, lapidum fodinas accedat: ſed is tantùm, qui vinculis ſolutus, vias novit itineri accinctus, locis amicus, & vires habet; ita pharmacum, quod ſolvere repagula, obicesquè tartareos debet, ex præſcriptô ejusdem dictatoris

toris *pag. eâd.* 1. aptum debet eſſe, in urinam mutari, ut ſcil. locum affectum tangat. 2. habere poteſtatem ſolvendi repagula calculi. 3. poſſidere iſtud in proprietate ſpecificâ, & appropriata; non autem in ſecundis qualitatibus, hæ enim ſunt caducæ. 4. ſubtile & penetrans, 5. amicum naturæ, ne œconomiam corporis turbet; facili negotiô quilibet cordatus medicus exinde poterit colligere, prædicta lithontriptica ſub formâ *magiſteriorum*, *ſalium &c.* exhibita, effectus ſuos citius non minus quàm felicius aſſecutura, quàm ſi cruda adhibeantur, parte terreſtriore & uſui humano minùs commodâ nondum erutâ & ſequeſtratâ.

Sic LAPIDES quamplurimi (lubet medicamenta, quæ REGNUM MINERALE ex gazophylaciô ſuo ſatis largô proventu ſubminiſtrat, primô locô recenſere:) apti nati ſunt duelech humano reſolvendo, modò, præeunte eôdem *Helmont. de lith. p. 62.* capite omni mortuô, ſeu terreſtreitate quâ adhuc ſcatent quamplurimâ, prius exuti reddantur volatiles.

Ità lapis JUDAICUS, LYNCIS (non enim ille eſt urina lyncis coagulata, ut vulgò hactenus fuit creditum, ſed à naturâ ita, utplurimùm in formâ pyramidis, productus:) SPONGIÆ, & alii in atterendo & expellendo renum & veſicæ calculo haud invalidam vim afferent, ſi vel ſub formâ liquorum, vel *magiſteriornm* & *ſalium* ægrotis propinentur.

SILICES, ſivè ſint in vinô extincti & pulveriſati, ſive in ſal & liquorem redacti, inprimis verò illorum *eſſentia* deſcripta in *chim. Rolfinc. p. 226.* ſolerter quoquè comminuunt calculos humanos.

Lapis PISOLITHUS, qui in valle Joachimica carolinas propè thermas magnâ reperitur in copiâ, & cujus ſat magnam quantitatem mihi videre obtigit apud nobiliſſ. *Præſidem*, *magiſteriumquè* ex eô paratum, & *chim. in artis formam redactæ p. 352.* deſcriptum, arenoſum in urinariis ductibus coagmentum ſatis feliciter expellit.

Ætitem ſeu *lapidem aquilæ*, *eſſentiamquè* ex eô paratam contra omnis generis calculoſos affectus valere, teſtis eſt *P. Joh. Faber in myroth. ſpagir. l. 3. c. 23. p. 633, 634.*

Lapis

Lapis calcarius, licet infimæ ſortis ſit lapis, arcanum tamen ad calculum atterendum præbet probatiſſimum. Celebrantur valdè *oleum* ſeu *liquor* exinde paratus, ut & *tinct. nephrit. Dn. D. Sultzbergeri, Medici quondam apud Lipſienſ. celebratiſſimi*, ex *calc. viv. part. 4.* & ♀ri *opt. crud. 2.* invicem mixtis, cum 🜄 fontan. coctis, filtratis, coagulatis, & cum ſpirit. vin. ſeu ut ſecretiores nonnulli divæ chimiæ ſacerdotes malunt, ſpirit. quôdam nephriticô extracta; cui haud abſimilem ſub titulo *eſſentiæ* ſeu *tinct.* ♀ri *compoſ.* deſcribit *Præſes in chimiâ ſæpius adhuc laudandâ.*

Medicinam calculi *cryſtallus* obtinet, quâ non invenitur præſtantior; felix qui poteſt præparare, inquit *Paracelſus*. Paratur autem ex eô *ol.* ſeu *liquor*, eôdem modô concinnandus, ut liquores gemmarum, eumquè delineavit *Croll. baſil. chim. p. 293.* Non tamen confertim & continuè, monitore *eôdem p. 433.* uſus ejus eſt adminiſtrandus, præſertim ubi natura langvidior exiſtit. Datur à *gr.* x. *ad 16. Sirupi* etiam cujusdam *ex cryſtallô ſpagiricè præparati* mentionem facit, illumque valdè contra calculum commendat *Greg. Horſt. l. 4. obſerv. 43. p. 216.*

His tamen omnibus palmam præripit *nephriticus* ex *Hiſpaniâ novâ* allatus *Lapis*, qui vel *exteriùs* appenſus brachio dolorem renum lenire, arenulasquè & calculos ejicere, atquè expellere eſt deprehenſus, atteſtantibus à *Nicol. Monard. medicam. ſimpl. ex novô orbe delatorum cap. 31. hiſtoriis* relatis. Ità *Rhod. cent. 3. obſerv. 30.* refert, *Nicolaum Treviſan. medic. theor. Profeſſ. Patav.* ex calculô urinæ ſuppreſſione laborantem à *Jacob. Zabarell.* lapide nephrit. brachio appenſo curatum fuiſſe. Plenis buccis quoque lapidis hujus in expellendô calculô uſum deprædicat *Joh. Franc. Ulmus de occult. medicam. propriet. l. 2. cap.* 7. plurimisquè notatu dignisſimis obſervat. illuſtrat *Matth. Unzerus florileg. de nephrit. l. 1. cap. 24. p. 111. & ſeq.* Conſulatur quoquè *Camerar. in memorab. med. cent. 8. §. 34. 35. 36. 37.* Exiſtimamus tamen, lapidem hunc majoris fore efficaciæ, ſi pulveriſatus in liquorem redigatur, & in 🜄 *petroſel.* vel aliâ ſaxifragâ ad g. 9. vel 10. *interiùs* aſſumatur. *Eſſentiam* ſeu *tincturam* ex eô eliciendi modum propoſuit *Rolfincius in chim. ſuâ pag. 226.*

In-

Ingreditur etiam lapis hic, ceu magnum quoddam oportet, *liquorem nephriticum* Magnif. *Dom. D. Michaëlis*, ut & *magiſterium ejus nephriticum.*

Datur etiam lapis alius, *Ludus Paracelſo* dictus, ex quô idem concinnavit liquorem quendam, quem ſub *liquoris ludi* nomine inauſpicata verborum tenebroſitate in *l. de morb. tartar. cap. 20.* poſteris reliquit, illumquè ceu verum & ſpecificum *antigorgonicum* miris laudibus extulit. *Helmontius* tamen, ut Doctoris & artium Heliæ titulum eò meliori jure ſibi vindicet, & æquior *Theophraſto* videatur, apertiori ſenſu eum deſcripſit, ejusquè in ⊖ volatile, verum antigorgonicum converſionem *diatr. de lith. p. 62. 63.* prolixô quidem, ſed adhuc etiam ſatis obſcurô ambitu eſt proſecutus, ſimul lapidis hujus natale ſolum, quod ad ripam ſcaldis, propè Antvverpiam, fidè, ut putat, detexit.

Ad *mineralium* claſſem meritò etiam referimus *ſuccos* & *ſalia* quædam in comminuendo duelech operam præclaram navantia.

Vitriolo & ejus SPIRITUI magnum calculoſis inexiſtere ſolamen prudentisſimi medicorum unanimi conſenſu pronunciarunt, eorumquè teſtimonia *florileg. de nephrit. l. 2. p. 203. & ſeq.* fidâ manu conſignata reliquit *Unzerus*. Noſtrô etiam tempore *Helmont.* novam ſpirit. ⊕li deſtillandi & rectificandi rationem excogitavit, eamquè *c. 8. de lith. p. 72.* operosè deſcripſit, tantiquè eam æſtimat, ut *ſeq. pag.* glorioſus affirmet, hunc ſuum ſpiritum, quàtenus volatilis & ſalſus, pergere uſquè in quartam digeſtionem, & reſolvere excrementa morboſa, in itinere obvia: & per conſequens etiam, tollere cauſſam occaſionalem plurium morborum chronicorum, ſub quorum cenſu procul dubio etiam calculum intelligit. Haud minoris, imò forſan etiam majoris efficaciæ cenſemus *ſpirit. compoſ. lithontripticum Dom. Præſid.* deſcriptum in *chim. p. 171.* à g. v. ad viij. in juſculô, vel vehiculô aliô conveniente exhibitum.

Nec ſuis laudibus eſt privandus *ſpiritus* ⊖*lis*, ritè præparatus tùm ſimplex, tùm compoſitus ex ⊖ & ⦶, utpotè in calculo reſolvendo vires obtinens eximias, modò à prudenti me-

dico providâ manû diſtribuatur. Impenſè etiam poteſtates antinephriticas in *ſpiritu ſalis marini hiſpalenſis* latitantes demiratur *Johann. Baptiſta van Helmont. c. 3. de lith. pag.* etiam 28. affirmat, eum *ſibi par haud habere remedium, extingvendis ardoribus urinæ, etiam præſente in veſicâ calculo, etiam in ſenum ſtranguriis; putrefactiones* eum *impedire, diſſolvere mucagines, arenas pellere.*

Nec illaudata prætereunda ex *Nitrô* concinnata medicamenta. *Spiritus* enim 🜕, ut & *lapis prunellæ*, ſ. 🜔 🜕; item 🜔 🜿ri 🜕ratum *Minſichti armament. medico-chim. ſect. 1. p. 16.* deſcriptum in expellendo arenoſo coagulo ſat ſtrenuè & ſat felicitèr operantur.

Non verò MINERALE tantùm, ſed & ANIMALE regnum ſinu ſuô non modò quàm plurima, ſed & uſu probatiſſima ad duelech hoſtile gnavitèr amoliendum expromit auxilia.

Ut enim *animalia perfecta & in terris degentia* primô locô ſub examinis incudem revocemus, annon *calculus in renibus & veſicâ microcoſmi* genitus, ac tandem vel naturæ robore, vel medicamentorum ope excluſus, vel manuum etiam fideli operâ extractus medicinam præbet calculo eradicando præſentiſſimam, maximequè fatalem? Hujus arcani conſcius *Paracelſus* præparationem ludi humani miris laudibus *l. 2. de morb. ex 🜿rô* extulit, nuſpiam autem genuinam ejus præparationem manifeſtavit, ſed malevolè reticuit: candidè verò illam in *praxi ſua chimiatr. p. 152. 153. editionis veræ Lipſienſis* artis filiis ſe propalaſſe gloriatur *Joh. Hartman.* chimiæ quondam in academiâ Marpurgenſi profeſſor ingenioſiſſimus in *obſervat. ad baſil. chim. Croll. p. m. 433.*

Boves quoquè *in ventriculis & veſicis ſuis felleis* gerunt lapides, ſpecifica adverſus calculum remedia. *Helmont.* tamen *de lithiaſ. c. 7. p. 66. liquorem* ſaporis non quidem urinalis, ſed alieni, in *veſiculâ tauri embryonis* inventum, & ad ℥ ij cum totidem vini albi ſingulo mane exhibitum ſplendidiori dignum cenſet præconio, utpotè in duelech abigendo compertæ felicitatis.

Sangvis hirci à quamplurimis iisquè præſtantiſſimis medicis pro ſingulari arcanô in conterendô calculo celebratur, forſan quod adamanta ſolvat, adeoquè magis calculum; autori-

tates

tateſque hoc aſſerentium collegit *Unzerus ſtorileg. nephrit. l. 2. p. 181.* *Embryo* etiam *hircinus* è veſiculâ ſuâ promit *liquorem*, efficaciâ & expellendi virtute vel præfatum liquorem embryonis tauri ſuperantem, uti experientiâ fretus hoc affirmat prælaudatus *Helmont. l. & pag. cit.*

Sangvis leporis, ejusdem *pili* & *pellis*, *ipſequè totus* cavitate abdominis prius lithontripticis refertâ, martiô vel majô menſe combuſtus, calculos etiam pellere, renesquè mundare ſcribitur, forſan quia variis herbis & inter alias lithontripticis etiam tunc temporis veſcitur. Ante combuſtionem tamen caput ejus auferendum. *Oſſiculum* quod in poplite poſteriore eſt, talus leporis vulgò dictum, arenulas *totius ſubſtantiæ ratione* exturbare affirmat *Fernelius de abdit. rerum cauſſ. l. 1. c. 4. p. m. 41.*

Sues, brutorum ſordidisſima in veſicis ſuis interdum cuſtodiunt *lapides*, lithontripticâ facultate vel cum ludis humanis certantes. Siquidem, uti fidè mihi retulit Excellentisſ. *Dom. D. Leonhardus Urſinus, Medic. Profeſſor apud Lipſienſes famigeratisſimus, Botanicus ſolertisſimus, Patronus, Præceptor atquè Hoſpes meus, dum Lipſiæ viverem, ſubmiſſè honorandus*, cæteris lithontripticis nihil juvantibus, hi auxiliô ſuô non deſtituunt calculoſos, pulveriſati ad ℈ß, gr. xvi. in vehiculô conveniente aſſumti, poſſentquè majori cum ſucceſſu exhiberi, ſi eâdem cum ludô humanô ratione & artificiô in liquorem redigerentur.

Aqua, ne homini in ſuppetiis contra calculum ferendis deeſſe videatur, è fundô ſuô mittit remedia uſui humano ad calculum comminuendum commodisſima.

Oceanus cives numerat *Manatim* & *Roſmarum* piſces, quorum *prior* unanimi ſcriptorum conſenſu, capite ſuô circumfert lapidem ad lapides microcoſmicos pellendos efficacisſimum, quô nomine etiam valdè extollitur *magiſterium* ex eô paratum: *poſterior* verò authoritate *Bartholini cent. 2. hiſt. 65. p. 238.* penem obtinet oſſeum, lithontripticum præbens multiplici experientiâ comprobatum.

Nobis non ideò ſulcandus oceanus; flumina noſtra in ſuggerendis calculum comminuentibus liberaliora adhuc ſe præbent illô.

Percæ & *Carpiones* lapides obtinent, qui in *magiſteria* ex artis præſcripto redacti, in confringendo calculo operam adhibent laudabilem.

Cancros frequentèr comeſtos ſpecificè contra tartarum corporis noſtri valere, ab illôquè potenter præſervare, autor eſt *Paracelſus*: quæ tamen aſſertio non tam iis competit, quam *lapidibus* ſeu *oculis* eorundem falsò ita dictis, magiſterioquè ex illis concinnato, uti videre eſt apud *Ilnzer. floril. de nephr. lib. 1. cap. 27. p. 144.* qui hujus uſum peculiari obſervatione illuſtrat. Plurima ut lectu jucundiſſima, ità ſcitu digniſſima de lapidibus, ſeu oculis cancrorum ſcripta reliquit *Helmont. de lith. cap. 7. pag. 67.*

Ex VOLATILIUM cenſu ſaxifraga ſe nobis offerunt commendatiſſima.

Paſſer Troglodytes, ex monitô *Charlet. p. 162.* citra effuſionem ſangvinis, cui indubitatè vim hanc ſpecificam ineſſe credit occiſus, plumisquè & extis vacuus, locôquè horum baccis *juniperi, petroſelinô* & aliis *lithontripticis* refertus, & in decoctô ligni nephritici (vel liquore betulæ;) per noctem maceratus, ac leniter vaſe optimè clauſo coctus, ſicque refrigeratus cum liquore jejunè calculoſis exhibitus & ab iis comeſtus, prodeſt.

Haud minorem laudem meretur *motacilla* in liquore betulæ decocta.

A nonnullis magnarum æſtimantur virium *membranæ interiores ventriculorum ſtruthiocameli, columbarum & gallinarum*, cum hæ viventes lapides deglutiant & comminuant. *Helmont.* tamen *p. 65.* taxat illos, qui hoc affirmant, quia cum vitâ bruti vis fermentalis viſcerum unà exſtingvitur ac datô etiam, quod membranæ hæcce, & pulvis ex iis paratus, primitivam ac priſtinam vim, quam in vitâ obtinuerunt, à morte quoque ſervent, attamen in culinis noſtrarum digeſtionum virtutibus iſtis pulvis hicce ſpoliatus ad renes & veſicam viribus integris penetrare nequit. Verùm ſtante hâc *Helmontii* hypotheſi, & ejus lithontripticâ, quæ tantoperè laudavit ac tantô niſu propugnavit, vacillabunt, amiſſionique virium in tot digeſtionibus, quas prius ſubire debent, æquè erunt obnoxia, ac illa,

quæ

quæ temerè repudiavit. Abolentur quidem aſſumtorum qualitates in variis iſtis digeſtionibus nonnullæ, ſed ſaltem externæ; non autem internæ, & quæ à ſpecificâ deſcendunt proprietate.

Urogallus in ventriculo ſuo interdum cuſtodit lapides, ad lapidem microcoſmi frangendum pro arcanô à quibusdam habitos.

Excernuntur etiam quædam à *volatilibus*, quæ calculoſis ſolatio ſunt haud contemnendo. Ità *putamina ovorum quorumcunque* (nolumus enim columbarum & pullorum gallinaceorum ſtercora hîc deprædicare;) in pulverem ſubtiliſſimum redacta non ſine optatô ſucceſſu cum ▽ juniperinâ propinata vidit, & expertus eſt *Bartholin. cent. 4. hiſt. 23. pag. 271.* Ratio forſan hæc eſt: quemadmodum illa cyatho vini immerſa feces vini ſeu ♀rum imbibunt; ita etiam pulveres ex illis parati & aſſumti ♀rum microcoſmicum abſorbent, ac per convenientes vias non ſine ſublevamento ægroti feliciter eliminant.

Suppetias etiam homini, tanquam creaturarum nobiliſſimo, ad abigendum duelech hoſtile ferunt INSECTA quædam.

Scarabæorum ſubcæruleorum menſe majô ſpecies reperitur amygdalini nuclei magnitudine, matutinô tempore in viis utplurimum, qui ſtatim atque tanguntur, ▽ gummoſam quandam emittunt tanquam invidiâ quâdam naturæ. Hi chartâ ſubitò excepti & igne exſiccati, projectis pedibus, alis & capite pulverem præbent, cum caryophylli modicô ad gr. 6. v. 7. propinandum, arcanum contra podagram & lithiaſin ſecretiſſimum, revelatum tamen à *Borellô hiſt. medic. phyſ. cent. 4. obſ. 73. p. 337.*

Lautiore forſan encomiô mactandi erunt *οἱ ὀνίσκοι aſelli, millepedes* aliàs dicti, & pulvis ex iis paratus, deſcriptusque à *Johann. Hartm. in not. ad baſil. chim. Croll. p. 433.* ſi ejus ʒj. in ℥vj. vel viij decocti cicerum rubrorum manè jejunô ſtomachô ſingulis vel alternis diebus exhibeatur. Ante ejus uſum enema emolliens injiciendum ſvadet: ac eô tempore, quô eô utimur, alvus lubrica ſervanda, abſtinendum etiam à vinô & valdè aromatiſatis. Bilioſis temperaturis pulvis hicce parcâ doſi eſt ſumendus.

VEGETABILE REGNUM præter ſuperius enumerata lithontriptica famoſiſſima quamplurima alia in publicum exponit medicamenta.

Ex *Indiâ occidentali*, & ejus provinciâ florentiſſimâ *Hiſpaniâ novâ* in regiones noſtras importatur *lignum* quoddam, ab uſu, quem præſtat renibus, *nephriticum* dictum; cujus *decoctum* ſummô cum emolumentô exhibetur calculô diſcruciatis.

Indiæ orientali nihil familiarius eſt potione decoctâ, ex herbâ *Theè Chinenſibus*, *Japoniis T'chia* vocatâ, quæ tantùm valet ad calculum pellendum, ut nemo apud *Indos*, quibus frequens hujus decocti uſus, calculi doloribus obnoxius reperiatur, teſte *Nicolaô Tulpiô, obſerv. medic. l. 4. cap 59.*

Europa, ejusque portio nobiliſſima *Germania* hujuscemodi antinephriticis haud deſtituuntur, meritò hîc enumerandis, niſi potiſſima eorundem jam antea in hôc capite, reliqua verò in Practicorum monumentis prolixâ ſerie jamdudum eſſent propoſita; ex ♀rô tamen vini parata medicamenta pauciſſimis expedire lubet.

Decantatæ virtutis lithontripticon eſt ♀rus ⊕latus, deſcriptus in *chimiâ Rolfinc. p. 323. & ſeqq.* ♀rus ⦶ratus propoſitus à *Minſichto armament. medico-chim. ſect. 1. p. 16. Liquor ♀ri lithontripticus Zobelii*, ex ♀ro, ſilicibus & ⦶rô reverberatis, & in cellâ in oleum reſolutis. *Oleum ♀ri lithontripticum.* ejusdem ex *lap. lync. judaic. ſpong. ocul.* ♋ beneficiô *aceti deſtillati* priùs in calcem redactis, confectum. Arcanum ♀ri, *Tholdenii*, *Rumelii & Zwælfferi*, delineata à Nobiliſſimô & Experientiſſimo *Dn. Philippo Jacobo Sachs à Lewenheimb / Ph. & Medic. D. famigeratiſſimo, hujusque apud Wratislavienſes Practico feliciſſimo, Chimiatro ingenioſiſſimo, patruele ac patronô meô omni obſervantiæ cultu proſequendo, in ampelogr. p. 657. 659. Tartarus diureticus*, deſcriptus ab *eodem p. 608. ſpiritus ♀ri compoſitus antinephriticus p. 647. ampelogr.* Tincturæ quoque variis modis extrahuntur ex ⊖ ♀ri, quas proponit prælaudatus *autor. p. 652. & ſeq.* ex quibus illam quæ ex ⊖e ♀ri, & ♁nio conjunctis præparatur, & quæ à *Rolfincio in diſſert. de ♀rô ſub titulô tinctura ♀ ♁atæ cap. 27. pag. 26.* proponitur, in calculô ſe frequentiſſimè & cum fructu exhibere teſtatur

p. 651.

p. 651. Laude quoque hic ſuâ non eſt privanda *Tinctura ♀ri compoſita antiarthritica & lithontriptica* propoſita *cap. 26. p. 25. laudata de ♀ diſſertat.* utpotè effectus edens inſcriptioni ſuæ conformes.

Non hîc prætereunda illa, quæ natale ſolum commendat. Ità *muſcus marinus*, quia in terrâ ſalsâ naſcitur, multùm ſalis habet, ac ob illum inter ſaxifraga recenſetur à quamplurimis. *Magiſterium* ex eo paratum & ad ℈j in conveniente liquore exhibitum prodeſt.

Eosdem effectus edunt *anthera* ſeu *atomi citrina florum muſci terreſtris clavati*; ut & *muſcus lapideus* ſeu *ſaxatilis*.

Fungi in *agro Neapolitanô* propè urbem *Somam*, quotannis è *lapidibus* terrâ ſaltèm obrutis enaſcuntur, qui ſiccati & pulveriſati pondere ʒß in aquâ appropriatâ manè & veſperi exhibiti, ad miraculum omnem calculum comminuunt, & inſtar farinæ expellunt, teſte *Oswaldo Grolliô lib. de ſignaturis internis rerum. pag. 45.*

CAPUT XXIX.

compoſita lithontriptica & ſpecifica enucleat.

COMPOSITA & MAGISTRALIA apud autores extant ferè innumera, cum nullus ferè ſit, qui non arcanum quoddam contra calculum crepet.

Specificum utrumque, quo *Guilielmus Laurembergius* veſicæ calculum comminuit, ex hiſtoriâ ipſius *Laurembergii*, & relatione *Sennerti & Riverii*, eſt notum.

℞. aſellor. ſpir. ⊖ prop. ʒj. *ſp. juniperi* ʒij.
juris cicerum rub. ʒx. *F. Miſtura.*

℞. aſell. præp. ℥ij. *leporis præp.*
ſangv. hirci præp. ſpongiæ roſ. ſylveſtr.
ſem. viol. purp. a. ℥j. *ſp. lithontript. M.*

Doſ. ℈ij in decocto diuretico, miſto cum ſpir. juniperi, per multos dies. Ejusdem notæ eſt commendatus pulvis lithontripticus *Horatii Augenii tom. 2. epiſt. & conſult. lib. 9. epiſt. 8.*

℞. pulv.

℞. pulv. aſell. pp. ʒj.   *aq. vitæ ʒij.*
decocti cicerum rubrorum ℥viij. M.

Vires. Facultas frangendi calculum conſiſtit in millepedibus. Aq. vitæ & cicerum decoctum ſunt vehicula baſis medicamenti.

Datur tepidum horis ante cibum quinque.

℞. magiſterii petroſelini Zwelfferiani. ʒij.

Datur in charta. S. Steinpulver.

Doſ. & utendi modus deſcribuntur *chim. in artis form. redacta.*

℞. cryſtal. ♀ albiſſ. ℥j.   *nephrit.*
⦶ puri. ℥ß.   *percarum præp.*
Pulv. & commiſtis, adde   *boracis Venetæ a. ℈ij.*
lap. ♋ ʒiij.   *elæoſacch. fæniculi a. ℥j.*
lyncis   *M. In ſcatula* S. Steinpulver.

℞. ſpec. nephrit. Minſichti ℥ß.
In ſcatula S. Steinſaltz.

Celebres ſunt etiam *eſſentiæ & tincturæ, magiſteria, ſpiritus* & alia pyrotechniæ beneficio concinnata, animoſa ad duelech hoſtile, invadendum, minusque faſtidioſa. Cum commodô propinari poterunt ſequentia:

℞. Spiritus fragorum   *hederæ terreſtris aa. ℥iß.*
extracti glomorum cynosbati, ononidis. ſaxifrag. aa. ʒj.
M. & filtretur.   *S.* kräfftig Stein*elixir.*

Doſ. à ℈j. ad ʒß. in juſculô quôdam pingviore, vel decoctô quôdam dilatante.

℞. eſſentiæ lap. ♋ non coctorum deſcriptæ chimiæ artis formam redacta. ʒij.
In vitro S. Steineſſentz.

℞. clyſſi ♁. compoſiti majoris apparatûs deſcripti chim. in art. form. red. ℥ß.
In vitro S. Steintreibende Eſſentz.

Doſ. ℈ß. vel ʒj horis matutinis in juſculo.

℞. Spiritus ⊖ compoſiti rectific. ʒij.
ſpiritus fragorum ʒij.
Rubeat cum ſirupi fragorum & rubi idæi q. ſ. Miſce.

℞. ma-

℞. *magiſterii lapid. cancrorum* ⊖ *ononidis*
vivorum *ſtip. fabar. a.* ʒß.
lapid. piſc. manat. *cryſtall.* ♀*ri* ʒiß.
carpionum a. ʒj. *ol. ſuccini* ℈ß.

Cum ſacchari canti æquali portione fiat pulvis ſubtiliſſimus. S. Steinzucker.

Nec inefficax erit ſeqens pulvis.

℞. ⊖ *juniperi,* *magiſter. piſolithi lithontr.*
fragrariæ, *ocul. cancr.*
chamæm. *ſuccini, lapid. judaici a.* ℈ij.
teſtarum ovorum. a. ʒij. *cryſtall.* ♀*ri* ʒiv.

M. fiat pulvis. S. Steintreibendes Pulver auff etzliche mahl.

Monendum tamen hîc, prædicta lithontriptica in uſum prius non eſſe trahenda, niſi viis per medicamenta emollientia priùs benè dilatatis. Ubi haud erit incommodum, ſi horâ unâ ante uſum prædictorum lithontripticorum *ol. amygdalarum* dulcium, aut decoctum quoddam humectans & vias laxans exhibeatur.

Poſſunt quoque prædictæ ſpecies in vehiculo quodam emolliente exhiberi; hâc enim ratione calculus eò facilius latibulis evocari & exturbari poterit.

CAPUT XXX.

externa lithontriptica naturalia & ſuperſtitioſa.

VIribus à naturâ inſitis multum præſtare lapis & lignum nephriticum, putantur appenſa lumbis: ſed nec experientia Laurembergiana nec Rolfinciana confirmavit.

SIGILLIS, characteribus inſignitis, Paracelſicis multum tribuunt *alii*, cum vel ſine incantatione paratis & admotis. Pari paſſu ambulare creduntur cum STATUIS INAURATIS veterum, quibus olim hoſtium irruptiones inhiberi & quædam mala averti poſſe putabant. Dicebantur Dii tutelares, ϑεοὶ ἀποτροπαῖοι, ἀποπομπαῖοι, ἀλεξικακοί. Talibus viribus prædita eſſe putantur amoleta quædam. *Trallianus lib. 9. cap. 5.* in podagra o-

 mni-

mnibus præfert δακ]ύλιον ἐκ κυπρίου χαλκοῦ, ἀπύρου, τοῦ ἐν αὐτῷ τῷ μετάλλῳ μὴ εὑρισκομένου *annulum ex ære Cyprio ignem non experto, quale in ipſis fodinis reperitur. Chimici recentiores* ANNULUM ex *Mercurio* coagulato & colorato extollunt. Sed nulla hîc virtus, nullus effectus antipodagricus, ut oſtendit *Roleſinciana in artis formam redacta chimia lib. 5. ſect. 8. cap. 2.*

Eandem virtutem tribuunt ☿io ſuper ♄ fumo coagulato. Sed & hoc eſt τῶν ἀραχνίων ὕφασμα, *ut oſtenditur loco citato.*

CAPUT XXXI
vitalis diætæ regimen inquirit.

AER, cum corporis calorem intendere valeat, ſit moderatus.

AFFECTUS animi *temperati* coctiones juvant; *immoderati* verò & *intempeſtivi* eas turbant, ſangvinem crudum in venas præcipitando.

CAPUT XXXII
diætam naturalem enucleat.

NATURALIS diæta ſummo ſtudio attendenda, κατὰ τὸ πλῆθος, ποιότητα, οὐσίαν, εὐκαιρίαν, εὐταξίαν.

VITETUR ingurgitatio nimia.

Cibi calidi, acres, aromatibus conditi: craſſi viſcidi lenti, in quorum cenſu pedes ſuum, vitulorum, vitentur.

LAC & ex lacte confecta edulia, laxandi, emolliendi & dilatandi vi prædita commendant *nonnulli.* Horum principes *Unzerus & Platerus in praxi.*

Diverſum ſentimus cum *Galeno 6. epid. comm. 3. t. 15.* τοῖς δὲ θηλάζουσι, καὶ ἡ ὕλη συντελεῖ. παχὺ γὰρ φύσει τὸ γάλα, καὶ πρὸς λίθων γένεσιν ἐπιτηδειότατον. *Lactentibus & materia ipſa occaſionem præbet; lac enim naturâ craſſum eſt, & ad calculos creandos aptiſſimum.*

CASEUS & PANIS ſunt optima fercula ſanis. Elogium hoc habet *Schola Salernitana.*

PANIS non ſit confectus ex fàrinâ, quæ molarem experta lapidem friabilem. Hic enim à fermento acido reſolutus deponere poteſt in renes ſeminarium lapidoſum.

CA-

CASEUS ſuſpectus eſt 1. craſſi eſt alimenti, & viſcoſi. 2. meatus obſtruit, 3. alvum conſtipat, 4. caſeo comeſto utplurimùm calculus movetur, & ad iram concitatur. 5. nocere teſtatur *Galenus 6. epidem. comm. 3. t. 15.* dum ἀμέλει, *inquit,* καὶ τοῦ πλείων τοῖς πλεονάζουσιν ἐν τυρῶν ἐδωδῇ λίθους ἐν νεφροῖς γινομένους ἔγνωμεν πολλάκις. *In adultis caſeo frequentiùs veſcentibus lapillos in renibus crebrò ſuboriri cognovimus.*

Recens, lactis naturæ affinis laudatur ab his, culpatur ab his. Conſulat quilibet experientiam ſuam.

Antiquus caſeus ſalſus, acris, nonnunquam etiam putridus ob ſalis abundantiam calculi ferax.

SALIS immodicus in condiendis cibis uſus ad calculorum generationem facit. In hoc arcanum concretionis, coagulationis, ſoliditatisque principium. Facit ad concretionem, das anſchieſſen/ob formam ſalinam: facit ad lapideſcentiam ob ſuccum & ſpiritum lapidificum.

ΕΥΧΥΜΟΙ ſint cibi, καὶ εὔπεπτοι qui boni ſucci, facilis coctionis & attenuandi incidendique vi præditi, proſunt.

Nomine hôc ſe commendant, ex Avibus montanis imprimis *turdi*, utpote pauci excrementitii ſucci, & baccis juniperinis utplurimùm ſaturati. *Columbas ſylveſtres* extollit *Charleton.* eò quod ſal nitroſulphureum ex ſalſis, nitroſis & aluminoſis alimentis accumulent, tartarô liquando valdè idoneum. Nec laudibus ſuis privandæ *gallinaceæ* carnes.

Ex Brutorum carnibus conducunt *agninæ*, *vitulinæ*, *vervecinæ*, *bubulæ juniores*.

An Diuretica his miſcenda, ut cum carnes bovinæ cum radicibus petroſelini coquuntur, vel cerevifiæ miſcentur ſpiritus ⊕lis ſalis, quæritur. Verendum, ne crudus & nondum concoctus cibus ſimul rapiatur ad renes. Sed nullum inde periculum, ſi uſus ſit moderatus, & vel ſemel vel bis in ſeptimanâ admittatur.

Ex Vegetabilibus valdè commendantur *fructus cynosbati*, utpotè ad eradicanda lithiaſis ſemina, reſolvendumqne duelech noviter embryonatum miræ poteſtatis.

Haud minoris momenti ſunt *turiones aſparagi* primis men-

M 2 ſis

ſis ſumti, utpotè à calculô egregiè præſervantes. τοῦ ἀσπαράγου καυλίον ἑψηθὲν καὶ βρωθὲν, κοιλίαν μαλάσσει καὶ οὖρα κινεῖ. Ita *Dioſcorides lib. 2. cap. 114. Aſparagi caulis mollit alvum, & urinam ciet brevi coctura elixus & in cibo ſumptus.* Utrâque virtute prodeſt calculoſis præſervandis. Alvum dum laxat, materiam antecedentem è medio tollit. Urinam dum movet, coagmentationem lapidoſam impedit.

Urinam non ſolùm movere, verum etiam malo odore imbuere conſtat experientia, niſi obeſas quis habeat nares. Veriſſimile eſt, non generari fœtorem à caulibus, ſed fœtidam materiam pelli.

Diſſentit *Helmontius*, ſummâ cum fiduciâ negans, vim aliquam antinephriticam aſparagis ineſſe. Patrocinium verò eorundem ſuſcepit *Charleton. p. 171. & ſeq.*

Baccæ juniperinæ & malvaticum ex illis paratum magnis vulgò extolluntur elogiis. Vias etiam lubricant, adeoque tartarum in iis ſubſiſtere haud permittunt pingvia *butyrum, oleum olivarum & amygdalarum dulcium.*

Celeberrimus trium imperatorum archiater *Crato conſilio 140.* AVELLANAS commendat. Si quis, *inquit*, quotidiè ante cœnam comederit avellanas, in renibus craſſities & compactio impeditur.

Et *conſilio* 141. uvas paſſas majores unà cum acinis dentibus comminutas, in primâ menſâ comedendas, vel quod tutiſſimum eſt, magnoque cum ſucceſſu in multis approbatum, aliquot nuces avellanas ad novem vel decem perpurgatas, ante prandium vel cœnam comedendas commendat.

Idem confirmat *Amatus Luſitanus cent. 7. curat. 78.* multosque avellanarum eſu liberatos atteſtatur.

Vim anticalculoſam nonnulli in membranulâ interiore, alii in oleosâ parte quærunt.

In POTU *nephriticus* ſibi temperabit à *Vinis* generoſis craſſis, auſteris, recentibus, inprimis muſtô.

Aſſentiri haud poſſumus iis, qui omnem vini uſum calculoſis volunt adimere, nullô habitô reſpectu ad regionem, ætatem, & conſvetudinem, maximè tamen attendenda. Autorita-

ritates in partem affirmativam & negativam collegit excellentiſſimus *Dom. D. Sachs à Lewenheimb/ chimiater apud Vratislavienſes ingenioſiſſimus, patruelis ac patronus meus ſubmiſſè colendus, in ampelogr. p. 312. & ſeq.* qui controverſiam hancce tandem dirimens diſtingvit inter *corpus purgatum & impurum.* Lubenter concedimus, quod ſi cacochymicus, & cui primæ viæ ſaburrâ vitioſorum humorum ſunt oppletæ, vino generosô paulò largius ſe ingurgitare velit, illum malum malô eſſe accumulaturum, ſaburrâ in primis viis ſubſiſtente beneficio copioſioris vini in venoſum genus, & ex hôc in renum parenchyma deductô & effusô, quod in corpore purgatô non tantoperè metuendum. Temperantia tamen ut in aliis, ſic & in hôc caſu ſemper ſanctè obſervanda.

HALICACABI vinum *nonnulli* extollunt, cum *Riverio in praxi.*

Sed improbat *Duretus in Hollerium*, quod ſtomacho ſit infenſum, & facilè aceſcat. Indè judicat calculi generationem juvare.

At ſciendum acida disgregare calculum, tùm vegetabilia, ut ſuccum limonum, acetum vini, tùm mineralia ſpir. ⊖. ⊕li. Experientia teſtis, vinum illud medicatum profuiſſe.

Ex *Cereviſiis* ſibi eligat benè coctam & defecatam, cui ex monitô *Helmontii l. de lith. cap. 1. ſemen dauci* incoxerit, utpotè in corrigendâ diſpoſitione calculoſa nunquam ſatis laudandæ virtutis, quam etiam experimento rariſſimô pariter ac feliciſſimô *l. c.* illuſtravit prælaudatus *Helmontius.* Huic calculum ſuum addit *Charleton. diatr. de lith p. 128.*

In hiſce regionibus ad hunc ſcopum adhiberi poſſet cereviſia *Numburgenſis*, utpotè naturæ nitroſæ, & in ♀ro abigendo haud contemnendæ efficaciæ.

Nonnulli in calculô valdè commendant *aquæ tepidæ* uſum, quorum primarius *Zecch. conſ. 13, 17.* Illuſtriorem reddidit hanc ſententiam, eamque correxit *Sennert. paralip. p. 149.*

Majorem forſan laudem efficaciamque obtinebit *liquor ſ. ſynovia betulæ* à cortice vel ramis, menſe martiô, vulneratis ſpontè fluens. Hîc enim liquor certâ proportione cereviſiæ

benè lupulatæ mixtus, & tempore matutinô hauſtus, effectus ſpondet ad lithiaſis præcautionem exoptatiſſimos, hocque nomine frequenter menſe majo hauritur à magnatibus, calculi torminibus obnoxiis.

Quod ſi adſit epatis & renum intemperies calida & ſicca, eam optimè corriget *ſerum lactis*, ſub ingreſſum lecti hauſtum.

CAPUT XXXIII

diætam animalem inveſtigat.

MOTUS corporis ſit moderatus.

Exercitium ante cibum, in arenulis, quæ otio facilè ſubſiſtunt exturbandis plurimùm juvat. Experientia confirmat, tum eas copioſiùs, quàm manè poſt ſummum, cum urinâ excerni. Inde & tum hæc inſpicienda, ſi ritè eam dijudicare velimus. Parvus ſi ſit & conſiſtens, à motu ad exitum irritatur ſæpe cum *ἐυφορία*: ſi enim diu deliteſcat, ſemper fit major.

Motus lumborum & totius corporis ſuper oſſe ſacro, promovet lapillum, & de ſede exturbat ſuâ.

Nimii motus equitationum in equo ſuccuſſorio, digladiatione, ſaltatione, vitentur.

SOMNUS & VIGILIÆ non excedant modum. Præſtat tamen *ſomno* potiùs aliquid dare, quàm *vigiliis*, modò iſte juſto corporis inſtituatur ſitu.

De eo IN GENERE conſiderato, *Avicennæ* adſcribitur ſententia *ab interpretibus*, quod jubeat cubare nephriticos in dorſo.

Alii vituperant ſupinum decubitum. Ajunt avitam libidinis ſedem dum calefacit, humores pravos raptum habere, *ὀργασμῷ* concitatos ad renes, ibidemque reſolutis tenuioribus craſſiores exercere dominatum, ſicque fieri *σωάγμα ἀπὸ τοῦ τὸν γλισχρὸν χυμὸν σωάγεσθαι*, *coagmentationem ita dictam, quod viſcidus humor concreſcat.*

CONCILIATIO talis eſt. Decubitus ſupinus in renum calculo vix habet locum: at in veſicali pertinet ad *τὰ σχήματα ῥήζοντα figuras levantes*; impedit enim, quo minus calculus incidat in collum.

IN

IN SPECIE decubitum in molli & plumeo lecto conferre ad λιθίασιν tradidit *Trallianus lib. 9. cap. 4.* Τὸ ἐπὶ στρωμνῆς καθεύδειν ἐχούσης πτερὰ τῶν χηνῶν, ἐκθερμαίνει τοὺς νεφρούς. *Cubare in culcitris ex anſerum plumis confectis nocet, renes enim calefaciunt.*

Accuſantur hîc plumæ, Germanorum nocturnæ deliciæ, Non poſſunt aliâ ratione nocere, quàm calore, ſi nocent. Nullam habent ſingularem *ἀντιπάθειαν.*

MERIDIANUM SOMNUM concedimus iis, qui illi ſunt adſveti, ventriculô præditi imbecilli, ſicciori temperatura, ſunt ſenes & noctes duxerunt inſomnes. Ineatur autem non mox à prandiô, ſed elapsâ ad minimum horâ unâ, ſedendo vel decubitu acclivi. Cæterùm ſatiùs erit ab illô abſtinere.

Καθεύδειν χρὴ τὴν νύκτα, τὴν ἡμέραν ἐγρηγορέναι; dormire noctu oportet, ſententia eſt *Hippocratis cois prænot. interdiu vigilare,* Locum habet in ægris, ſanis, & valetudinariis.

In Sanis hæc eſt juris ſtricti ſententia, in Ægris patitur limitationes. In VALETUDINARIA quodlibet tempus diei & noctis ſomno aptum. Confectus doloribus à calculo moto, cum melius habet, dormiat: ſui juris cum eſt, vitet tempus mali omnis, imprimis meridianum.

Brevius, quàm coctioni aptum intervallum, chylum imperfectum relinquit; hinc cruditates, & ſangvis impurior ſcorias ſuas deponens in renes, & συνάγμαλι lapidoſo feneſtras & fores aperiens.

EXCRETA in actu præſervationis benè obſervanda. Habeat æger ad manum matulam vitream urinariam. In eâ excipiat lotium manè circà horam quartam vel quintam, & eandem contempletur, obſervandi animo, an ſabulum vel arenulæ adſint.

ALVI LUBRICITATEM à calculo præſervare teſtatur *Hipp. lib. de aere, locis, & aquis,* docens, quod quantumvis multi iisdem utantur aquis, quæ in vaſis ſubſident, non omnes tamen calculo corripiantur, ſed ii ſolùm, qui veſicam habent igneam, & alvum ſtrictam, ὁκόσων μὲν ἡ κοιλίη εὔροός τε καὶ ὑγιηρής ἐστιν. καὶ ἡ κύστις μὴ πυρετώδης, μηδὲ ὁ στόμαχος τῆς κύστιος ξυμπέπρακται λίην, οὗτοι μὲν διουρέουσι ῥηιδίως. καὶ ἐν τῇ κύστει οὐδὲν ξυ-

στρέ-

περιφέρεται, &c. *Quibus alvus fluida, tum ſana eſt, & veſica minimè ignea, neque veſicæ os cum ea valdè conſpirat , ii quidem facilè urinam emittunt, neque quicquam in veſicâ colligitur.* &c.

ALVUS ergo ſi ſit lubrica, & ſi deſit officio, clyſteribus vel pilulis aloëticis, ſeu tartareis *Quercetani*, item brodiis lenientibus admoneatur.

URINA quoque ultra tempus non detineatur.

Immunes à calculo futuri, dum mingunt, jubentur ſublato crure uno lotium effundere. Sic viæ urinariæ dilatantur, & unà cum ſaccato humore exit materia σωάγμα ſubitura. Hâc poſiturâ cum canes urinam emittant , præſervari putantur à calculo.

VENUS cupida, exſiccando renes & debilitando ad collectionem arenularum diſponit, diu latentes provocat, noviſque doloribus fores aperit: ſin autem arenulæ liberum invenerint exitum, ſalutaris eſt corporis exercitatio.

Moderatus ſit hic Veneris cultus. Caveant, ne fulmen *Abenſine* tremendum *l.3. fen. tract.1. cap.11.* incurrant, transgreſſores.

SOLI DEO GLORIA.

CLARISSIME

FRIDERICI.

ARduum eſt, quod labore quæritur, & dulce, quod vigiliis partum eſt. Hoc virtutis & doctrinæ ſtudioſos à populô ſecernit, ac veluti ſuperorum immiſcet choro, reliquorum cervicibus ſupervectos. Tu etiam amœnum laborioſorum tuorum ſtudiorum fructum jam percipis, ſupraque alios eveheris, poſtquam à primis eorum incunabulis majora privato in votis tuis concipis, ſpem in longum porrigis, & utmedicæ Divæ amplexibus fruaris, nullis la-

boribus & vigiliis parcis. Non contentus familiæ ſplendore, alienæ incumbis famæ, non ſatis eſſe judicans cenſeri laude parentis, quem tota Sileſia meritorum complectitur gloriâ, Vratislavia magnâ civem fidelem colit veneratione, jurisprudentia ſuo adſerit amplexu, forum ſuas vocat delicias, injuriarum mole preſſi tutum agnoſcunt refugium, imò quicquid dixero, minus erit. Tuâ virtute emergere geſtiiſti. Dulces fuere labores, læta incommoda, gratæ vigiliæ, ut citrà audaciam vota concipe-

re,

re, & medicô noſtrô conſeſſu di-
gnum te ſiſtere poſſes, artis no-
ſtræ candidatum. Ad honorum
contendiſti faſtigium, non lon-
gô ab eô diſtas intervallô. De-
ſcende modò in arenam, & quas
de calculo renibus & veſicæ in-
feſtô, politâ mente & manu exa-
raſti theſes, contra commilito-
num, pari animo ad medicæ do-
ctrinæ & experientiæ metam fe-
ſtinantium, tela defende. Sena-
tus Apollineus felicitatis tuæ cu-
mulum complebit, & virtutis in-
ſigne quolibet diademate augu-
ſtius impertiet. Viam tibi ſter-

nat

nat hic honor ad practicæ felicitatis famam, ut magnâ cum celebritate miſeris ſuccurrere poſſis ægris, veteris & novæ artis, quoties fatorum ſatelles virga fores pulſat, renovans miracula.

Dabam in Athenæô Salanô, Annô M. DC. LXIII. Calendis Januarii.

GUERNERUS ROLFINCIUS, D.
medicinæ practicæ & chimiæ Profeſſor publicus.